ORATIONES QUAE SUNT IN MACARTATUM (XLIII.) ET IN OLYMPIODORUM (XLVIII.) ET IN LACRITI EXCEPTIONEM (XXXV.) SUB DEMOSTHENIS NOMINE TRADITAE NUM UNIUS EIUSDEMQUE ORATORIS ESSE IUDICANDAE SINT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM MARPURGENSIUM ORDINE

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

Georgius Schimmelpfeng

Marpurgensis.

MARPURGI CATTORUM

TYPIS FRIDERICI TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MDCCCLXXXVII.

Orationes in Macartatum (XLIII), in Olympiodorum (XLVIII), in Lacriti exceptionem (XXXV), quae sub Demosthenis nomine traditae sunt, ab illo praeclarissimo et maximo omnium oratorum non compositas esse jam E. Benselerus[1]), A. Schaeferus[2]), Fr. Blassius[3]) probaverunt. Qui eas eisdem temporibus, quibus Demosthenes floreret, habitas esse existimant, sed a minoribus oratoribus scriptas; Schaeferus porro, quem Blassius sequitur, orationes in Macartatum et Olympiodorum uni eidemque oratori tribuendas esse iudicat. Blassius[4]) denique in quaestione eo pervenit, ut et has tres orationes, quas attuli, unius oratoris opera esse persuasum habeat neque solum has ab illo compositas esse putet, sed etiam praeter primam orationem in Stephanum, quam Demostheni ipsi tribuit, omnes pro Apollodoro scriptas orationes. In quam rem paullo accuratius inquirere cum operae pretium esse mihi videretur, proposui mihi nunc praetermissis orationibus illis pro Apollodoro perscrutari orationes in Macartatum et in Olympiodorum et in Lacriti exceptionem, num unius eiusdemque oratoris essent.

In hac autem quaestione summam cautionem observandam esse existimo, cum permulta, quae primo aspectu harum orationum propria videantur esse, re vera vel aliarum quoque orationum vel omnino omnium oratorum Atticorum communia sint.

Ab antiquis orationes et in Macartatum et in Olympiodorum tantum abest ut unquam illi abiudicatae sint, ut vel Dionysius

---

1) »de hiatu« Lipsiae 1841 p. 135, 137, 142, 151 sqq. — »de hiatu in Demosthenis orationibus« Frib. 1848.

2) »Demosthenes und seine Zeit« III, 2. p. 227—241. p. 286–291.

3) »Attische Beredsamkeit« III, 1. p. 489–507.

4) l. c. p. 484 sqq. p. 501.

Halicarnassensis[1]) insignem in utraque artem laudibus efferat. Orationis autem Lacriteae de origine Demosthenica iam veterum a nonnullis, quorum nomina ignoramus, dubitatum esse nos docet Libanius[2]), qui ipse eorum argumenta parvi existimat. — Ne his quidem temporibus homines docti consentiunt de illis orationibus. Nam praetermissis A. G. Beckero[3]) aliisque, qui Benseleri et Schaeferi sententiis nondum vulgatis floruerant, etiam postquam Arnoldus Schaefer edidit tertium volumen egregii operis sui de Demosthene et rebus, quae, quo tempore vixit, gestae sunt, eius iudicium de oratione in Olympiodorum in controversiam vocatum est ab Henrico Weil[4]) praeclarissimo illo et doctissimo editore cum aliorum scriptorum Graecorum tum Demosthenis, qui quo iure eam Demostheni tribuerit postea videbimus.

De orationibus autem et in Macartatum et in Lacriti exceptionem nunc omnes, nisi fallor, Schaeferi Blassiique sententiae ita assentiuntur, ut illas a Demosthene ortas esse posse negent. Cuius nomine non dignam esse orationem in Macartatum accuratissime probare studuit W. Rohrmannus[5]). Quocum consentio non tam in singulis omnibus rebus quam in eo, quod Demosthenis esse illam ne somniandum quidem esse censet. In priore dissertationis parte ille de rebus in altera de verbis i. e. de externa forma orationis disserit. In illa recte reprehendit debilem argumentationem, recte demonstrat oratorem multis usum esse verbis, non argumentis, permulta attulisse, quae ad rem omnino non pertineant. Sed in eo, quod caput est, errat Rohrmannus, quippe qui Theopompum eiusque post mortem Macartatum optimo iure secundum legem Hagniae II. hereditatem iniisse iudicet. Cui sententiae si assentiremur, propter malam causam adeo non

---

1) »*περὶ τῆς λεκτικῆς Δημοσθένους δεινότητος*« c. 13 »*τοιοῦτός ἐστι* (scil. *καθαρὸς καὶ ἀκριβὴς καὶ σαφὴς . . .*) . . . *καὶ ὁ κατ' Ὀλυμπιοδώρου τῆς βλάβης . . . καὶ ἡ πρὸς Μακάρτατον διαδικασία* . . .«

2) *Ὑπόθεσις* ad Demosthenis quae fertur or. XXXV.

3) »Demosthenes als Staatsmann und Redner« II. p. 428, 438, 452.

4) »Les harangues de Démosthène« Paris 1873. Introduction p. X—XI.

5) »Oratio quae est contra Macartatum num Demosthenis esse iudicanda sit« Dissert. inaug. Gotting. 1875.

reprehenderemus debilem oratoris argumentationem. Sed falso interpretatus est ille legis verba »μέχρι τῶν ἀνεψιῶν παίδων.« — In altera parte ad sententiam suam comprobandam multa praebet ille argumenta et vera ut magnam verborum latitudinem. Sed in aliis multis fieri non potest quin offendam. Nam parum comparasse mihi ille videtur orationem XLIII. veris Demosthenicis neque omnino aliis confert nisi orationibus contra tutores scriptis a Demosthene adolescente. Multa porro argumenta omittit ille, nonnulla affert, quae omittere eum oportuit; quin etiam falsa occurrunt ut ea, quae de partitione πρῶτον μὲν — ἔπειτα disserit. Quare Rohrmanni dissertationem ad probandam orationis Macartateae originem pseudodemosthenicam plane non sufficere equidem censeo.

Meam dissertationem postquam iam ad finem perduxi et in medium proferre mihi proposui, nova disputatio edita est de his orationibus. Scripsit enim Paulus Uhle[1]) de orationum Demostheni falso addictarum scriptoribus quaestionum particulam primam, in qua demonstrasse sibi videtur[2])

a) orationes XXXV, XXXXIII, XXXXVIII ab uno eodemque scriptore compositas esse,

b) orationes XXXXVI, XXXXVII, XXXXIX, L, LII, LIII, LIX uni eidemque auctori esse adscribendas,

c) non dubium esse posse, quin optimo iure orationes XXXXIII, XXXXVIII, XXXV[3]) a scriptore XXXXVI, XXXXVII, XXXXIX, L, LII, LII, LIX abiudicet.

Cui assentitur Windelius[4]) in a et b, non in c. Ipse praetermissis orationibus XLVI, XLVII, XLIX, L, LII, LIII, LIX nequaquam consentio cum Uhlio et Windelio; mihi enim ille non videtur demonstrasse or. XXXV, XLIII, XLVIII ab uno eodemque scriptore compositas esse. Neque enim usus est summa illa cautione quam — ut iam supra[5]) dixi — observandam esse

1) Dissert. inaug. Lips. 1883.

2) l. c. p. 118.

3) Omisit hoc loco Uhlius or. XXXV.

4) Recension v. Windel »Wochenschr. für class. Philologie« 1884. 39. p. 1223 - 1229.

5) Cf. p. 3.

existimo, cum permulta quae primo aspectu harum orationum propria videantur esse re vera vel aliarum quoque orationum vel omnino omnium oratorum Atticorum communia sint. Permulta enim quae inter se convenientia afferuntur, fortuito consentiunt. Tum vero Uhlium reprehendo, quod genuinas Demosthenis orationes omnino non respexit, quod or. XXXV, XLIII, XLVIII unius oratoris esse saepe[1]) pro certo ponit, non probat; laudo cum Foxio[2]) Uhlii magnam diligentiam et accuratas observationes; sed ex multis earum nihil concludi posse statuendum est[3]).

De quibus orationibus disserere nobis proposuimus, eae omnes habitae sunt in privatis causis haud ita gravibus. Boni vero prudentisque oratoris cum sit posse quod deceat facere, scire quid quandoque deceat, in his orationibus exspectamus oratorem tenuem acutum, omnia docentem et dilucidiora, non ampliora facientem, subtili quadam et pressa oratione limatum[4]). Tria enim cum sint omnino genera dicendi unum tenue vel attenuatum vel subtile, alterum grande vel sublime vel grave vel robustum, tertium medium vel floridum, primum, cuius est ratio docendorum hominum, ut privatas orationes decet ita a Demosthene in eis usurpatum est. Quo qui utuntur id agunt, ut iudices doceant, ut iudicibus persuadeant de iusta sua causa. Qui necesse est studeant et subtilitati et brevitati et perspicui-

---

1) l. c. p. 40. Cf. infra p. 32. — p. 68 scriptor orationum XXXV XLIII, XLVIII p. 88. — p. 71 auctorem orationum XXXV, XLIII, XLVIII. p. 90 »in tribus prioribus orationibus sunt exempla haec: XLIII, 62. 74. XLVIII, 43.« In or. XXXV igitur deest exemplum! — p. 93 »Sunt igitur . . .«

2) Recension v. Fox »Philolog. Rundschau« 1885. 21. p. 641—644. — Cf. autem haec verba: »Gibt es doch zwischen den beiden Redeklassen auch Ähnlichkeiten und zwischen den einzelnen Reden derselben Klasse auch Unterschiede genug . . .«

3) p. 60 sqq. (interrogationes) — p. 82 sqq. (οὗτος) — p. 85 (infinitivi) — p. 75—82. Concedit Uhlius ipse: »Ex hac tabula nullum nobis licebit capere fructum.

4) Cic. de or. III, 212. II, 128. Or. 5, 20. 21. 69 sqq. Brut. 9, 35. — Cornif. ad Herenn. IV, 8. p. 134. — Quintil. Instit. Orator. XII, 10, 58 sqq.

tati, vitent et grandem sermonem et verborum latitudinem. Qualem oratorem cognoscimus in genuinis Demosthenis privatis orationibus. — Quaenam vero orationes sunt genuinae, quae sunt sine dubio a Demosthene ipso scriptae? Dissentiunt inter se homines docti. Omnium orationum in privatis causis habitarum, quae sub Demosthenis nomine traditae sunt exceptis eis, quas ille contra tutores suos habuit, non nisi septem Arnoldus Schaefer[1]) illi tribuit: orationes contra Spudiam (XLI), Calliclem (LV), Cononem (LIV), pro Phormione (XXXVI), adversus Boeotum de nomine (XXXIX), Pantaenetum (XXXVII), Nausimachum et Xenopithem (XXXVIII). Ceteras videtur ille recte repudiasse Blassio praeter orationes in Stephanum primam (XLV) et in Eubuliden (LVII), quas a Demosthene compositas esse hic[2]) putat; orationem vero in Zenothemin (XXXII), quam Benselerus[3]) Demosthenis esse iudicat, Blassius[4]) illi abiudicat. — Iam ante Blassium orationem contra Eubuliden, quam in editione sua scholarum usui destinata Westermannus[5]) ut omitteret, A. Schaeferi argumentis non adductus est, ab eo iniuria repudiatam esse merito iudicavit I. Siggius[6]). Sed hic et orationem in Stephanum primam[7]) et orationes in Pantaenetum, Nausimachum, Boeotum, Spudiam, Calliclem Demostheni abiudicat. Cuius iudicii explicationem se in medium prolaturum esse l. c. promittit, usque ad hoc tempus nondum protulit.

Quae cum ita sint, ab omnibus hominibus doctis praeter quattuor[8]) orationes contra tutores scriptas aliae nullae Demo-

1) l. c. III, 2. p. 316.

2) l. c. p. 398—399. 409 sqq. 427 sqq.

3) l. c. p. 135. 153.

4) l. c. p. 433 sqq.

5) Ausgewählte Reden des Demosth. erkl. v. Westermann in der von Haupt und Sauppe besorgten Weidmannschen Schulausgabe. Drittes Bändchen 1865. II. Auflage p. 136 Anmkg.

6) J. Sigg »Der Verfasser der 9 angeblich v. Demosthenes für Apollodor geschriebenen Reden«. Jahrb. f. cl. Phil. VI. Suppl. (p. 397—434) p. 401 Anmkg. 3.

7) l. c. p. 432.

8) Orationem III. in Aphobum contra Blassium (l c. p. 205 sqq.) cum Westermanno (Quaest. Dem. III. p. 11 sqq.), Baitero Sauppioque (O.

sthenis esse iudicantur nisi orationes in Cononem et pro Phormione.

Praeter quas orationem in Eubuliden Demosthenis esse cum Blassio et Siggio equidem puto. Qui quibus causis commoveatur, ut orationes in Pantaenetum, Nausimachum etc. haud genuinas existimet, cum ignorem, in argumentatione mea eas plane neglegam, respiciam in comparando non tam orationes in Aphobum et in Onetorem, quae ut a Demosthene adolescente scriptae minoris videantur momenti, quam orationes et in Cononem et pro Phormione et in Eubuliden. — Quod si cui mirum videtur, quod tot orationes tam parvi habeantur Demosthenisque nomine indignae existimentur, quae Callimachi iudicio in illius opera recepta sunt, ei iam Rohrmannus[1]) opponit Dionysii Halicarnassensis haec verba, quae exstant in capite primo libri, quem de Dinarcho scripsit: ». . . *ἅμα δὲ ὁρῶν οὐδὲν ἀκριβὲς οὔτε Καλλίμαχον οὔτε τοὺς ἐκ Περγάμου γραμματικοὺς περὶ αὐτοῦ γράψαντας, ἀλλὰ παρὰ τὸ μηδὲν ἐξετάσαι περὶ αὐτοῦ τῶν ἀκριβεστέρων ἡμαρτηκότας ὡς μὴ μόνον ἐψεῦσθαι πολλὰ, ἀλλὰ καὶ λόγους τοὺς οὐδὲν μὲν αὐτῷ προςήκοντας ὡς Δεινάρχου τούτῳ προςτίθεσθαι τοὺς δ' ὑπ' αὐτοῦ γραφέντας ἑτέρων εἶναι λέγειν.*« — Callimachus enim non tam oratorum delectatus est quam poetarum operibus. Quemadmodum igitur factum sit, ut Callimachus in diiudicandis oratorum Atticorum scriptis in permultos errores incideret, facile potest intellegi. De qua re siquis accuratius erudiri vult, ei evolvendum est A. Schaeferi[2]) volumen tertium, ubi de ea Rehdantzii apta et sagacia verba citantur.

Ciceronis orat. cap. 44 § 151 nisus Benselerus accuratissima de hiatu disquisitione in orationibus Atticis instituta solas vocalium concursiones observavit. A. Schaeferus propter magnitudinem suscepti laboris industriam diligentiamque suam non tam in orationibus privatis quam in contionibus, in orationibus

---

A. Dem. p. XIII), Dindorfio (Praef. ed. Teubn. p. LXXXIII), Schaefero (l. c. III² p. 82 sqq.), Schaffnero (diss. Lips. 1876), Buermanno (Neue Jahrb. f. Phil. 1877) Demosthenis non esse iudico.

1) l. c. p. 4–5.

2) l. c. III. 2. p. 317 sqq. Cf. Siggium l. c. p. 399 sqq.

publicis, in rebus historicis illustrandis consumpsit ita, ut in rebus ad privatas causas pertinentibus si non in omnibus, at in plurimis ipse verum sentiret, neque tamen nobis omnes scrupulos ex animis eximeret. Blassius denique neque hiatu neque argumentationis ratione neglectis, cum numerum oratorium observaret, vim rhetoricam conferret verae Demosthenicae, in elocutionem inquireret, utriusque illius argumentis permulta et nova addidit. Hi omnes utilissimam operam orationibus veris Demosthenicis cognoscendis et a falsis suppositisque distinguendis navavisse mihi videntur. His nisus in opusculo meo nova argumenta me adiuncturum esse et ipse spero.

In eo et antiquis et his temporibus omnes homines docti consentiunt has orationes revera habitas esse. De quo quod dubitemus non est praesertim in causis tam implicatis, tam difficilibus.

Has orationes Demostheni sine dubio omnes abiudicandas, orationes in Macartatum et in Olympiodorum uni eidemque oratori tribuendas esse, alii orationem Lacriteam dissertatione mea probabo.

Ut in sententia de origine pseudodemosthenica orationis Macartateae ita in eo Rohrmannum sequar, quod primum illarum orationum de rebus, tum de externa forma sive de verbis disseram.


I.

A rebus igitur ut ordiar, quomodo singulae orationes a Demosthenis arte abhorreant, antequam exponam me earum argumenta quam brevissima praemittere opus est. — Atque primum quidem orationem in Macartatum de Hagniae hereditate adeamus. Quae oratio ut habita in causa hereditaria summas rerum difficultates nobis praebet. Causa enim ita complicata est, ut, si Isaei orationem undecimam, in qua de eadem hereditate agitur, comparamus, Isaeum et eum oratorem, qui hanc scripsit orationem, in multis rebus sibi repugnare intellegamus. Quare iam H. Wolfius apud G. H. Schaeferum[1]) in apparatu

1) »Appar. criticus et exeget ad Dem.« V. p. 82.

critico queritur, quod sibi confitendum sit se aliquot loca eius perplexae orationis parum intellegere »ἐπιγράφεται μὲν οὖν οὑτοσὶ ὁ λόγος πρὸς Μακάρτατον, ἀθλιώτατον δ' ἂν ποιήσειε τόν τε ἑρμηνεύοντα καὶ τὸν ἐξηγούμενον καὶ πολὺς μὲν ἐν τῷ λόγῳ ὁ περὶ Ἁγνίου λόγος, ἥκιστα δ' ἁγνεύει πλείστων σφαλμάτων καὶ δυσκολιῶν ὁ λόγος νόμους τε ἔχων παλαιοὺς καὶ χρησμοὺς ἀλλοκότους καὶ γενεαλογίας δυσεφίκτους. — Et G. H. Schaeferus ipse hanc orationem difficilem esse intellectu concedit. Quas difficultates ut tollerent, quamquam permulti homines docti in eam orationem inquisiverunt, tamen eam ita restituere, ut omnia clara et perspicua apparerent, nulli contigit. — Et ipse cum omnes ad eam hereditatem pertinentes res etiam atque etiam mecum recognoscerem, cum me solum rectum excogitasse saepe opinarer, postremo tamen novae dubitationes, de quibus antea non cogitaveram, occurrebant. Itaque omnes difficultates tolli posse nobis desperandum esse censeo. — Sed quantum pro viribus meis possum, nunc res omnes, quae ad eam causam pertinent, explicabo. Res autem singulae ut melius et celerius intellegantur, tabulam generis Buselidarum apponam:

Busel



Adnotationes ad tabulam:

1) Omnes, quos in tabula attuli, nominantur aut apud Isaeum aut in Demosthenis quae fertur oratione in Macartatum aut in utraque oratione.

2) Omnes vero eos, qui eiusdem generis non commemorantur nisi in testimoniis insertis, omisi.

3) Phylomachae II. coniugis nomen Sosithei nullo loco invenimus nisi et in Libanii argumento et in testimoniis insertis (§ 36, 37 etc.). — Quare in tabula eius nomen uncis inclusi, et ut illius ita etiam Glauci, qui num omnino fuerit, et Phylomachae I., quae num Polemonis fuerit soror eodem patre genita dubium est. Cf. infra p. 28.

4) Eupolemi, quem hereditatem Hagniae petiisse in orationis Macartateae paragrapho septima orator dicit, originem et genus ignoramus.

5) De quo genere qui hor
duabus orationibus, eos hoc loc
mihi videtur esse:


Bunsen »de iure heredi
philologica Gottingae 1813 (cum

De Boor »Ueber das attis
andere Gegenstände des attischer
als Prolegomena zur Rede des
Hamburg 1838 (cum tabula).

G. H. Schaefer »Apparat
duabus tabulis).

Schoemann ed. Isaei ora
(cum tabula).

Buermann »Das attische
Mus. N. F. XXXII. p. 353—385.



homines docti scripserunt et de nis
loco commemorare operae pretium

reditario Atheniensium« disquisitio
(cum tabula generis Buselidarum).
ttische Intestat-Erbrecht und einige
chen Rechtes und Prozesses, zunächst
des Demosthenes gegen Macartat«
.
aratus criticus« V. p. 82 sqq. (cum

orationes Gryphisw. 1831 p. 448 sqq.

sche Intestat-Erbfolgegesetz« Rhein.
385.

Grasshoff »Symbolae ad doctrinam iuris Attici de hereditatibus« I. »de successione ab intestato« Dissert. Lips. 1877.

A. Schaefer l. c. (cum tabula). Rohrmann l. c. Blass l. c. P. Uhle l. c.

Dareste »Les plaidoyers civils de Démosthène« Paris 1875 p. 22 sqq.

Praeterea aliis scriptis praetermissis conferre possumus:

A. G. Becker »Demosthenes als Staatsmann und Redner« II. p. 536 sqq.

Westermann »Untersuchungen über die in die att. Redner eingelegten Urkunden«. Abhandlgn. d. Sächs. Ges. d. Wissensch. Phil. hist. Cl. I. p. 90 sqq. (cum tabula).

Wachholz »de litis instrumentis in Demosthenis q. f. or. in Macart.« Kiel. dissert. 1878 (cum tabula).

Hagnias II., de cuius hereditate in utraque oratione agitur, mortuus est sine liberis. Sed sororis filiam adoptavit heredemque omnium bonorum fecit. Non multo post hac puella mortua Hagniae II., si Isaeum (§ 8—9) sequimur, frater uterinus Glauco, si orationem Macartateam sequimur, fratres uterini Glaucus et Glauco testamento nisi, quo appareret ad se hereditatem deferendam esse, si sororis filiae quid accideret, omnibus Hagniae bonis potiti sunt. Ea tamen paullo post transierunt ad Phylomachen II., pro qua Eubulida II. patre mortuo Sositheus coniux eius prodiit iudicibusque persuasit illud testamentum non ab Hagnia compositum, sed ei suppositum esse; proximum autem propinquitatis ius esse Phylomachae II. ut filiae Eubulidae II. Sed ne haec quidem hereditatis possessione diu usa est. Nam in eam impetum fecerunt cum alii, de quorum nominibus Isaeus scriptorque orationis Macartateae discrepant, tum Theopompus, qui primo una cum Stratio II. et Stratocle litem paraverat, deinde eis mortuis solus totam Hagniae hereditatem petiit. — Ceteris repulsis illi contigit, ut, cum Phylomachen I. non esse Polemonis sororem ab eodem patre genitam, ex eadem igitur domo atque Hagniam II. non ortam probaret, ipse solus remaneret, cui bona adiudicari possent. Neque vero multo tempore interiecto accusationes de falsis testimoniis in eum instructas esse ex Isaeo (§ 45) comperimus. Neque vero eis quidquam effectum est. Neque meliore eventu usus est Stratoclis filius, pro quo alter tutor in Theopompum — qui ipse fuit alter tutor — litem[1]) intulit, quod pupillo dimidium hereditatis non tradidisset. Quod facere eum oportuisse de duabus causis. Nam primum Stratoclis filio idem ius esse propinquitatis atque illi, tum vero ipsum Theopompum non solum Stratocli vivo, cum litem in Phylomachen una intenderent, promisisse, si is causa nondum iudicata moreretur, se cum eius filio bona Hagniae II. communicaturum esse, sed etiam Stratocle iam mortuo idem spopondisse pupillo. In quam accusationem Isaeus pro Theopompo orationem scripsit, quae exstat *»περὶ τοῦ Ἁγνίου κλήρου.«* Qua neque secundum leges de propinquitatis iure Stratoclis filium Hagniae

---

1) *»εἰσαγγελία κακώσεως ὀρφανῶν.«*

bona petere omnino posse neque se ullo pacto cum Stratocle vel eius filio aut promisso, ut dimidiam hereditatis partem pupillo daret, cogi Theopompus probavit ita, ut absolveretur.

Quo factum est, ut, quamdiu vixit, in possessione bonorum Hagniae II. maneret. Theopompo vero mortuo Macartatus filius ut patris hereditatem iniit ita illorum diu a patre possessorum bonorum. Neque iam se unquam posse eis privari arbitrabatur, cum subito in eum novus impetus factus est a Phylomacha. Ex qua Sositheus maritus complures liberos genuit, quorum maximus natu nomine Sosias tunc undevicesimum annum agebat, suae igitur potestatis erat. Quod tempus parentes exspectaverunt, ut Hagniae II. bonis potiri denuo conarentur. Cuius de hereditate cum iam antea cum Theopompo litigassent, tunc eos demonstrare oportuit, quibus legibus sibi permitteretur, ut iterum Hagniae II. bona peterent. Quare filium alterum in phratriam Eubulidae II. induxerunt eique nomen Eubulidae III. indiderunt ita, ut ab illo adoptatus videretur eisdemque iuribus uteretur, quibus filius adoptivus. Filius[1]) autem, quem pater naturalis in adoptionem alicui dederat, patria domo relicta in alteram receptus cum secundum leges Atticas in potestate patris naturalis manere non posset, Sositheus, qui Eubuliden III. in adoptionem Eubulidae II. iam mortui dedit, curatorem ei praefecit Sosiam filium maiorem natu, quem aetatem puerilem iam egressum esse commemoravimus. — Deinde postquam Eubulides III. rite in Eubulidae II. phratriam inductus et in eiusdem quamvis mortui adoptionem emancipatus est, illius nomine Sositheus Hagniae hereditatem diu a Theopompo et Macartato possessam denuo in controversiam vocavit. Quam ut Macartato eriperet, pro Eubulida III. apud iudices habuit hanc orationem, quae inter Demosthenis exstat »πρὸς Μακάρτατον περὶ Ἁγνίου κλήρου.« In exordio orator iudices orat atque obsecrat, ut attentos convertant animos ad narrationem (1—2). Tum permulta verba facit de prioribus litibus, quae de eadem hereditate

1) Mac. § 15. Cf. G. H. Schaeferum in appar. V. p. 90—91; Meierum Schoemannum »der att. Prozess« p. 436 sqq.; de Boorium »über das attische Intestaterbrecht« p. 93.

fuerant. Phylomachae enim in prima causa contigisse, ut sibi adiudicarentur Hagniae II. bona. Postea demum cum multi in eam exstitissent adversarii, illam victam esse Theopompi non iustis argumentis, sed nefaria fraude (3—10). Deinde orator accurate explicat, quomodo filius et ipsius et Phylomachae in Eubulidae II. domum adoptatus sit nomine Eubulidae (III.), atque legem recitari iubet, qua illi liceat Hagniae II. hereditatem denuo in controversiam vocare (11—17). Sequuntur permulta et inania verba, quibus Hagniae II. neminem esse propinquiorem neque agnatione neque cognatione quam Eubulidam III. orator probare vult (18—27). In proximis paragraphis multa deinceps testimonia exhibentur, quibus Sositheus cum alia tum id affirmaturus est, mendacia esse, quae antea Theopompus de genere Phylomachae I. apud iudices dixerit. Quam esse eodem patre genitam Polemonis sororem illum negavisse (28—50). Testimoniis recitatis permultas orator affert leges, primum de iure hereditario (51—52), tum de filiis, ad quas hereditas aliqua pertineat. Quam legem Sositheus, cum Phylomachen II. in matrimonium duceret, se observasse dicit (53—56). Deinde addit alias leges, ex quibus appareat propinquis tributa esse non solum iura, sed etiam officia in mortuos (57—65). Ne oraculum quidem Delphicum deest. Quod si Macartatus longam Hagniae II. bonorum possessionem opponit, breviter orator oppulsat eum monendo, ut fortunae gratias habeat, quod non prius ea hereditas transierit in manus heredum ipsorum (67). Theopompum vero eo pervenisse audaciae et impudentiae, ut non solum neglegeret officia propinquorum, sed etiam in Hagniae II. agris evelleret olivas. Quod scelus et qui suis ipsorum oculis viderint testes eduntur et affertur lex quae vetat (68—72). In proximis paragraphis Sositheus effert, quae pro Hagniae domo ipse fecerit, praecipue, quod eam perire non siverit. Sibi opponit Macartatum, qui in matris gentem transierit eique tantum consulat et prospiciat. Quin etiam Theopompi et Macartati domum tam alienam esse a genere Buselidarum, ut ne sepulcrum quidem cum illis communicet (73—80). Postremo orator Eubulidam III. filium, cuius adoptionem iterum commemorat, commendat iudicibus (81—84).

Quoniam igitur quantum potui res, quae ad orationem Macartateam pertinent, exposui, sequitur, ut eodem modo praebeam argumentum orationis in Olympiodorum. De quo qui accuratius erudiri vult, ei praeter Libanii argumentum et A. Schaeferum l. c. p. 236 sqq. et Fr. Blassium l. c. p. 497 sqq. et Darestium[1]) in libro, qui inscribitur: »Les plaidoyers civils de Démosthène« II. p. 1 sqq. perlegere licet. Conon, Atheniensis quidam, mortuus erat sine liberis neque testamentum reliquerat. Itaque de eius hereditate inter propinquos certamen ortum est. Primi eam una petierunt et obtinuerunt Callistratus et Olympiodorus, qui quomodo Cononi propinqui fuerint nescimus. Qui, cum huius sororem ille in matrimonium duxisset, inter se affinitate coniuncti, cum ab aliis Cononis hereditatem in controversiam vocatum iri exspectarent, quamquam ille se solum heredem esse initio dixerat, pactum inierunt, ut ex aequo mortui omnia bona partirentur et communiter agerent in rebus, quae ad eam hereditatem pertinerent. Cuius pactionis syngrapham composuerunt et apud Androclidam amicum deposuerunt. Deinde illi Cononis bonis potiti eaque secundum pactum inter se partiti sunt. Ex servis vero relictis Moschio quidam, qui Cononi fidelis visus erat, in suspicionem cecidit Olympiodori. Qui eum una cum Callistrato torsit ita, ut confiteretur se Cononi mille drachmas eripuisse. Cuius summae reliquam partem sescentarum fere drachmarum secundum pactum Callistratus et Olympiodorus inter se partiti sunt. Paullo post autem Callistrato nescio Olympiodorus iterum Moschionem torsit et septuaginta alias minas solus accepit. Quod cum ille comperisset, septuaginta minarum dimidiam partem a socio postulavit. Qui diu moratus haec et illa praetendebat, cum in controversiam vocatur Cononis hereditas et a Callippo Callistrati fratre eodem patre genito et ab aliis. Tunc illi dilato certamine de septuaginta minis paciscuntur, ut Olympiodorus totam hereditatem, semissem Callistratus petat. Cum vero illorum interesset causam differre hoc tempore Atheniensibus orto in Acarnania bello Olympiodorus cum exercitu illuc profectus est. Sed adversarii persuaserunt

1) Paris 1875.

iudicibus nihil aliud esse illius militiam quam praetextum. Quare eis hereditas adiudicata est. Postquam vero ille a bello rediit, iterum una cum Callistrato petiit Cononis bona, ut pacti erant, ille totam hereditatem, hic semissem. — Atque Olympiodoro, qui primus dicendi locum nactus est, contigit, ut sibi recuperaret totam hereditatem. Qua potitus contra pactum non dedit dimidiam partem Callistrato. Quare hic illum accusat detrimenti illati. In ea causa habita est haec oratio, quae inter Demosthenis exstat »κατὰ Ὀλυμπιοδώρου βλάβης.« In prooemio orator excusat, quod in propinquum litem intendit. Sed se, quacunque ratione posset, conatum esse Olympiodorum movere, ut sibi concederet. Quod sibi non contigisse. A iudicibus autem petit, ut aut reconciliationem efficiant aut iusto iudicio se adiuvent (1—3). Deinde affert testimonia, e quibus apparet adversarium omni aequitate neglecta secum reconciliari noluisse (4). Tum orator de Cononis hereditate narrat et de pactione, quam inierant ipse et Olympiodorus, recitarique et legem de pactis et testimonium Androclidae, apud quem syngrapha deposita erat (5—11). In proximis paragraphis orator pergit exponere primum, quomodo ipse et Olympiodorus Cononis bona partiti sint, tum de Moschione servo et perfidia Olympiodori, qui septuaginta minas non communicaverit secum, deinde de nova controversia et militia Olympiodori, denique de archontis iudicio, quo et Olympiodoro et sibi, quippe qui et ipse non potuerit repugnare archonti propter pactionem cum illo compositam, hereditas abiudicata, Callippo ceterisque adversariis adiudicata sit (12—27). Haud multo autem post Olympiodorum ex Acarnania rediisse et secundum syngrapham secum pactum esse, ut iterum peterent Cononis hereditatem, ille totam, ipse dimidiam (28—30). Quod qua lege illis permittebatur, ea recitata orator invehitur in Olympiodorum, qui, quamvis se adiuvante adversarios facile superaverit, tamen syngrapha neglecta neque totius hereditatis neque septuaginta illarum minarum dimidiam partem sibi dederit (31—32). Tum omnia, quae in prioribus exposuit orator, affirmat testimoniis (33—35). Quibus recitatis Olympiodori excusationes refellere conatur. In eo enim sibi repugnare illum, quod se a Moschione servo septuaginta minas accepisse modo dicat

modo neget. Ut hanc ita omnes alias excusationes nihil esse nisi praetextus nefarii hominis. Nam si ille praetendat, quod ipse contra pactum egerit, eum mentiri. Se ipsum enim in priore causa, cum Olympiodoro absenti abiudicaretur hereditas, sua sponte, quamvis ne adversarii quidem sibi repugnarent, ne dimidiam quidem partem bonorum petiisse, ne syngrapham neglegeret. Postea vero cum Olympiodorus denuo in controversiam vocaret hereditatem, se omnia, quae ille apud iudices diceret vel mentiretur, testificatum esse neque ulli eius verbo repugnasse, ut pacti essent. Quin etiam Cononis domum, quae in priore partitione sibi tributa esset, Olympiodori esse et a se conductam se concessisse. Quo factum esse, ut illi adiudicaretur tota hereditas. -- Apertum igitur esse contra pactum egisse non se, sed Olympiodorum. Utcunque autem res se haberent, illum oportuisse, antequam iudices de hereditate sententias dicerent, testibus usum apud Androclidam se accusare syngraphae neglectae (36—47). Quorum nihil fecisse illum affirmatur testimonio Androclidae, alio testimonio noluisse illum syngrapham describi descriptamque conici in scrinium forense (48—49). In proximis duabus paragraphis orator iterum commonet Olympiodorum, ut sibi concedat permittatque, ut syngrapha ipsa, quam Androclides secum attulerit in forum, apud iudices aperiatur reciteturque (50—51). Tum sequitur digressio. Callistratus enim invehitur in adversarium, qui habeat non uxorem sed meretricem. Hanc autem efficere, ut ille furat et improbum impiumque se praebeat in sororem eiusque filiam. Solonem vero ipsum lege constituisse, ne, quidquid quisquam faceret a meretrice commotus, valeret (52—56). Denique orator ut in exordio a precibus orsus erat, ita in conclusione orationem precibus perorat (—58).

Reliquum est, ut nonnulla dicam de argumento orationis in Lacriti exceptionem. In quod qui accuratius inquirere voluerit, ei et I. Herrmannum in dissertatione de Demosthenis orationibus paragraphicis[1]) p. 13 sqq. et A. Schaeferum l. c. p. 286 et F. Blassium l. c. p. 502 et Darestium l. c. I. p. 317 sqq. et Uhlium l. c. p. 7 sqq. evolvere licebit. Androcles et Nausi-

---

1) Erfurter Gymnasialprogramm 1853.

crates tria milia drachmarum foenerati sunt Artemoni et Apollodoro Phaselitis Athenis navigaturis in Pontum Euxinum et inde redituris. De foenore et usuris pacti sunt syngrapham, cui nonnulli testes subscripserunt nomina. Post reditum Artemone mortuo antequam persolvit foenus, Androcles a Lacrito fratre eius postulavit, ut fratris, cuius hereditatem iniisset et pro quo spopondisset, debita solveret. Quod ille ut faceret tantum afuit, ut exceptionem interponeret, qua et se de hereditate absistere neque ullum sibi pactum esse cum Androcle affirmavit. Omnino se ne spopondisse quidem pro fratre. Quam exceptionem ut refelleret, Androcles pro se et pro Carystio hospite[1]) habuit hanc orationem, quae exstat inter Demosthenicas »πρὸς τὴν Λακρίτου παραγραφήν.« — Atque primum quidem is, qui orationem habuit, postquam in omnes Phaselitas, quibus nulla gens neque Graecorum neque barbarorum fallacior esset, invectus est, breviter exposuit se Artemoni et Apollodoro Phaselitis triginta minas argenti foeneratum esse adductum precibus et duorum amicorum et Lacriti, qui spopondisset. Quem mortuo Artemone, cuius solus esset heres, cum simularet se et de hereditate absistere neque unquam spopondisse, non solvisse pecuniam mutuam. Deinde recitari iubet orator a scriba publico et syngrapham et testimonia (1—14). In proximis paragraphis in Lacritum invehitur, quo auctore Artemo et Apollodorus contra pactum egerint. Quos singulas syngraphae constitutiones neglexisse et contempsisse se probaturum esse professus primo loco exponit in illa inscriptum esse, ut, cum ipse et hospes triginta minas foenerarentur, tria milia vasorum vini pignori essent eaque, cum Artemo et Apollodorus in navi Hyblesii veherentur in Pontum, illuc traicerentur. Illos autem cum pecuniam mutuam consumerent in eis, quae ipsis viderentur, ne quingenta quidem vasa in navem imposuisse, egisse igitur contra syngraphae verba. Quod verum esse orator testimoniis affirmat (15—20). Tum explicat in syngrapha constitutum esse, ut tria milia vasorum vini, quae Artemo et Apollodorus pignori darent,

---

1) § 8 »ἐδάνεισα μετὰ ξένου τινὸς ἡμετέρου Καρυστίου τριάκοντα μνᾶς ἀργυρίου.«

aere alieno libera essent neve illi alias pecunias mutuas sumerent. Quibus syngraphae constitutis neglectis illos ab adolescente quodam pecuniam mutuam sumpsisse, decepisse igitur et se et illum, cui se nulli quidquam debere dixissent (21—23). Quibus verbis orator postquam adiunxit testimonium, ostendit debitores post reditum ex Ponto diu moratos esse pecuniam debitam solvere. Tandem a se etiam atque etiam monitum Lacritum professum esse fieri non posse, ut argentum persolveretur, cum in reditu inter Panticapaeum et Theodosiam naufragio facto omnes in navem impositae res ut et caro sale condita et vinum Coum et alia periissent. At inanem onere et merce fuisse navem. Exiguam vero copiam vini Coi et carnis sale conditae agricolam quendam Panticapaei emptam, ut operariis suis rusticis ferret, secum gessisse. Naufragium denique ipsum, quo navis non interiret, sed affligeretur solum, non Artemonem et Apollodorum, cum in reditu ex Ponto onus non imposuissent in navem, detrimento affecisse, sed Antipatrum quendam, qui navi et naulo[1]) hypothecae datis pecunias foeneratus esset. Quae omnia vera esse orator per testes affirmat (24—34). In proximis paragraphis incusat Lacritum, quod Artemo frater reliquam pecuniam in Ponto nauclero cuidam Phaselitae foeneratus contra syngrapham egerit (35—38). Quorum omnium auctorem fuisse Lacritum, Isocratis discipulum. De qua eruditione multa verba facit orator (39—43). Tum demum aggreditur ad exceptionem ipsam refellendam. Quam falsam esse tantum abest ut probet, ut ne unum quidem certum argumentum in eam afferat (44—49). Postremo gradatione quadam utitur, cum exponat Artemonem et Apollodorum sibi ipsi magnum periculum iniecturos fuisse, nisi syngraphae verbis appareret non se contra legem egisse sed illos, quippe qui permisissent, ut Phaselita ille pecunia mutua accepta Chium navigaret et ibi pecunia Attica mercaturam faceret (50—54). Concludit orator orando iudices, ut iustam suam causam adiuvent (55—56).

Ex his tribus orationibus Demostheni suppositam iam antiquos iudicasse unam in Lacriti exceptionem habitam videmus

---

1) ναῦλον vocabatur Graece merces data pro navigatione.

ex argumento Libanii, qui haec: »*οὐκ ὀρθῶς δέ τινες*« inquit »*ἐνόμισαν τὸν λόγον μὴ γνήσιον εἶναι ἀμυδροῖς ἀπατηθέντες τεκμηρίοις· τὸ μὲν γὰρ τῆς φράσεως ἀνειμένον οὐκ ἀπρεπὲς ἰδιωτικοῖς ἀγῶσι, τὸν δὲ Δία τὸν ἄνακτα κατὰ τὴν τοῦ προςώπου τοῦ ὑποκειμένου συνήθειαν δῆλός ἐστιν ὠνομακώς, πρὸς δὲ τὴν παραγραφὴν ἀσθενέστερον ἀπήντηκε διὰ τὸ πρᾶγμα τὸ πονηρόν.*« — Illorum veterum argumenta, quae Libanius parvi aestimat, equidem fieri non potest quin probem. *Πονηρὸν* recte Libanius vocat orationis Lacriteae *πρᾶγμα.* Nam quamquam Artemo male egerat in eum, qui hanc orationem habuit, tamen hic, nisi Lacritum fratris mortui bonorum hereditatem iniisse aut pro illo spopondisse demonstraret, non potuit postulare ab eo, ut illius debita solveret. Porro in eum, qui neque esset mercator neque ipse ullum pactum iniisset, etiamsi solus heres esset Artemonis, mercatoriam litem intendere illi non licuit, ut I. Herrmannus[1]) et Fr. Blassius[2]) merito iudicant. Quod si ille intendisset non eam, sed litem detrimenti illati *(βλάβης)*, Lacritus non potuisset uti illa exceptione. Hanc autem non contigit oratori ut probaret falsam esse. — Argumentationem enim, quam usurpatam invenimus in oratione Lacritea, bonam acutamque non esse explicabo. Orator enim multa facit verba, quae ad causam non pertinent. Nam tota narratio de Artemonis Apollodorique navigatione et perfidia et debilis et supervacanea videtur. Omnium illorum factorum auctorem fuisse Lacritum multis locis[3]) orator iudicibus persuadere conatur, sed ne unum quidem testimonium vel argumentum affert. Exceptionem vero Lacriti falsam esse oratorem oportuit demonstrare. Sed parum acute multa ille affert, quae sunt extra causam, multa, quae inter se pugnant, argumentum nullum. Lacritum enim pro Artemone spopondisse eiusque hereditatem iniisse compluribus locis[4]) orator dicit non probat. Itaque cum A. Schaefero[5]) eum, qui hanc orationem scriberet,

---

1) l. c. p. 13.
2) l. c. p. 506—507.
3) Cf. §§ 16, 17, 22, 28 etc.
4) Cf. §§ 4, 8, 15, 16, 44 sqq.
5) l. c. p. 290.

neque acutum neque sagacem fuisse censeo. Nam ab eo alia inter se confunduntur, alia dicuntur sine argumentis, alia, quae non pertinent ad causam, diligenter exponuntur: ea, quae probare maxime necessarium erat, negleguntur. — Ubi enim sunt ei testes, qui Lacritum spopondisse pro Artemone testificentur? Id confirmatum esse paragraphi 14. testimoniis[1]) ex oratoris verbis § 9 concludi non potest. Ubi sunt ei testes, qui Lacritum hereditatem Artemonis iniisse testificentur?

Per totam orationem invenimus nullos. — Debilis igitur apparet argumentatio. Nam si orator in § 44: »*ὥσπερ* — inquit —, *καὶ παρὰ τῶν ἄλλων εἰςπέπρακται, εἴ τίς τι ἐκείνῳ τῷ τετελευτηκότι ὤφειλεν ἢ ἐν Φασήλιδι ἢ ἄλλοθί που*,« his quoque verbis detrahitur fides. Desunt enim testimonia. Quae ut praebeat tantum abest, ut falsas ineptasque conclusiones faciat. Nam cum neque apud archontem neque apud regem neque apud polemarchum neque apud curatores rei militaris Lacrito litem intendi posse demonstret, mercatoriam litem intendere sibi licere probaturus est. In his rectam esse conclusionem num putas? Minime. Fallax apparet ista conclusiuncula. Ille potius si in Lacritum intendisset non mercatoriam litem, sed detrimenti illati, non futurum fuisse, ut illa exceptione uti posset, iam demonstravimus. — Adde quod parum sagaciter se gerere oratorem et in § 46: »*δικαζόντων ὑμῶν νυνὶ* . . .« et in § 27: »*ὅσα μὲν γὰρ ἀμφισβητήσιμά ἐστι*. . .« et aliis locis recte affert Blassius[2]). Quare Demosthenis non esse orationem Lacriteam iam cognovit I. Herrmannus[3]). Cui nunc nisi fallor nemo est quin assentiatur.

Πονηρότατον vero *πρᾶγμα*, improbissimam causam invenimus in or. XLVIII. Callistratus enim ipse apud iudices palam confitetur se in postremo iudicio, ut pacti essent, non solum omnia, quae ille vellet, concessisse, sed etiam eorum, quae ille

1) Ut cetera litis instrumenta ita testium formulae, quae exstant in or. Lacrit. utrum genuinae sint an a falsario suppositae, certatur inter homines doctos.

2) l. c. p. 507 Anm. 2.

3) l. c. p. 14 »Die Haltlosigkeit unterscheidet sich wesentlich von Demosthen. Reden«.

diceret, falsos testes subornasse. Nam nisi eo modo egissent, Olympiodorum non fuisse nancturum Cononis hereditatem. Tanta eorum erat nequitia et perfidia, ut H. Wolfius[1]) summa ira incensus haec verba proferret: »Sed o miram impudentiam hominis, qui suam improbitatem confiteri non erubescat, et dissolutionem iudicum, si talia scelera ulti non sunt!« Cui indignationi ut A. Schaeferus[2]) ita, quisquis hanc orationem leget, assentietur. Demosthenis maximi omnium oratoris eam esse fieri non potest ut existimemus. Tamen, ut iam supra commemoravi, Henricus Weil[3]) Dionysii Halicarnassensis iudicio nisus hanc orationem tribuit Demostheni, quippe qui ut omnes Atheniensium oratores iniustam quoque et improbam causam defendere potuerit. Sed talem orationem in tali causa scribere non modo Demosthenem, verum etiam ceteros magnos oratores Atticos non potuisse cum Blassio[4]) censeo. Adde quod, quo tempore[5]) habita est oratio in Olympiodorum, omnino non iam pro aliis Demosthenem orationes scripsisse verisimile est[6]). Certissimum esse statuo illum, quibus temporibus[7]), quacunque ratione pro viribus suis poterat, omnes Graecos pro patriae libertate in Philippum, regem Macedonum, excitare conabatur, non exstitisse defensorem tam pravae humilisque causae. Accuratius si in hanc orationem inquiremus, oratorem cognoscemus et verbosum et mendacem et ineptum et parum callidum et

---

1) in appar. crit. G. H. Schaeferi V. 247. — Idem ad Libanii argumenti initium »ποικίλην ἔχει περιπέτειαν πραγμάτων ὁ λόγος« — »μᾶλλόν γε« — inquit »πονηρίαν καὶ ἀδικίαν καὶ ψευδολογίαν.«

2) l. c. p. 239.

3) l. c. p. XI—XII. — Cf. supra p. 4.

4) l. c. p. 499. Cf. Darestium l. c. II. p. 3.

5) non multo post annum 343 a. C., cf. A. Schaeferum l. c. p. 239, Blassium l. c. p. 498.

6) Cf. or. in Zenothemin § 31—32: »ἐμοὶ δ' ἐστὶ μέν, ὦ ἄ. Ἀ., Δημοσθένης οἰκεῖος γένει . . . . . . προσελθόντος δ' αὐτῷ μου καὶ παρεῖναι καὶ βοηθεῖν ἀξιοῦντος . . . . . . ἔφη . . . . . . ἐμοὶ συμβέβηκεν, ἀφ' οὗ περὶ τῶν κοινῶν λέγειν ἠρξάμην, μηδὲ πρᾶγμα ἴδιον προσεληλυθέναι . . . . . .« — Cf. Henricum Weil. l. c. p. XII.

7) Cf. A. Schaeferum l. c. p. 239, Darestium l. c. II. p. 3.

qui certis argumentis niti non possit. Dolosa enim fraude se una cum Olympiodoro prius iudices decepisse, ut huic adiudicarent Cononis bona, Callistratus ipse confitetur, ut vidimus, neque causa sua confidit, ut apertum est ex infirmis et exordii et conclusionis verbis, quibus a iudicibus petit, ut sibi reconcilient Olympiodorum affinem, quem precibus ipse non moverit, ut Cononis bona secum communicaret. Quae imbecillitas eo mirabilior est, quo ad se solum pertinere totam hereditatem Callistratus ipse dicit[1]). Sed in eo illum mentitum esse nobis statuendum est[2]). Nudis enim verbis utitur, non argumentis ita, ut neque in §§ 5—6 neque alio ullo orationis loco certiores fiamus, quomodo et Callistratus et Olympiodorus et Callippus cognati fuerint Cononis. — Mirum vero esse mihi videtur, quod Callistratus, qui Olympiodori nullum esse ius ipse affirmaret, Cononis post mortem sua sponte ei commiserit dimidiam hereditatis partem; mirum porro videtur, quod Callistratus in hac causa in Olympiodorum propter eius nefariam perfidiam vehementissimis probris invehitur, qui idem antea summa fraude una cum illo egerit contra alios propinquos. Argumentatio igitur apparet infirma. Quamquam enim omnia, quae orator de septuaginta illis minis, de priore causa, de pactione dicit, vera esse posse concedo, tamen hac oratione non puto illum persuasurum fuisse iudicibus, ut sibi et septuaginta minarum et totius hereditatis dimidiam partem adiudicarent. Nam iudices si erant et iusti et probi et frugi, neque Callistrato dimidiam hereditatis partem committere neque sinere Olympiodorum in Cononis bonorum possessione manere necesse fuit. Utrumque potius, quem summa et perfidia et fraude in petenda hereditate egisse ex hac oratione patefieret, magnis poenis affici oportuit. Praeterea si iudices tam dissoluti fuissent — quod equidem fieri non potest ut credam —, ut talia scelera non ulciscerentur, certo hac oratione cognita et Callippus et ceteri, qui antea Cononis bona petiverant, in Olympiodorum et Callistratum intendissent litem de falsis testimoniis et evicissent sine dubio.

1) Cf. § 5--6.

2) Cf. Libanii argumentum, ubi haec legimus verba: ». . . ἀλλα, τοῦτο μὲν τάχ' ἂν καὶ ψεύδοιτο καὶ λόγῳ καταχρῷτο ψιλῷ.«

Ut orationes XXXV. et XLVIII. ita or. XLIII. non posse a Demosthene compositam esse apparet ex argumentationis ratione, quae in ea usurpata est. Nam A. G. Beckerus[1]), cum eam oratoria arte superare Isaei orationem de eadem hereditate iudicaret, lapsus est in permagnum iudicii errorem. Cui repugnant et Arnoldus Schaefer[2]) et Fridericus Blass[3]), quorum uterque Isaei et expositionem et argumentationem et rhetoricam artem praefert ei, qui orationem in Macartatum scripsit. Quam sententiam equidem fieri non potest quin probem. Nam quamquam concedendum est Isaeum omni aequitate neglecta ut in aliis orationibus ita in hac callide mentiri de iure et suo et adversarii legem hereditariam non recte interpretari sed in suum commodum, tamen magna arte eius oratio composita est. Exordium ipsum statim initium capit ab eo, quod praecipuum est, a iure hereditario. Tum sequitur narratio. Res dilucide et breviter exponuntur ita, ut nihil supervacanei addatur. Deinde Theopompus summa ingenii acie optimum suum ius hereditatis demonstrat, adversario omnino nullum ius esse probat. Tum omnia, quibus ille extra causam in eum invectus est, refellit, exceptiones singulas, quibus ille usus est, refutat. Postremo accusationis forma vehementer reprehenditur. Orationem igitur cognoscimus et perspicuam et bene compositam et absolutam et dignam, cui tribuantur virtutes et simplicitatis et brevitatis.

Nullo enim orationis loco orator a re digreditur, omnia inter se congruere, omnia non solum apta, sed necessaria videntur. — Cui orationi si comparamus eam quae est in Macartatum, hanc multo minore arte compositam esse nos iudicare necesse est. Imbecilla enim apparet argumentatio. Infirmissimis enim argumentis nisus orator iudicibus persuadere conatur, ut sibi adiudicent eam hereditatem, quae illi compluribus annis ante abiudicata est. Nam, quod caput erat, lex hereditaria semel tantum atque sero (52—53) recitatur et ne hoc quidem loco satis accurate illustratur. Eadem in Isaei oratione

---

1) l. c. II. p. 436/37.
2) l. c. p. 235.
3) l. c. II. p. 470. 554.

de Hagniae hereditate commemoratur et illustratur[1]). Cuius legis eam partem, quae in hac causa maximi est momenti, hoc loco afferre mihi liceat: *»ἐὰν δὲ μηδεὶς ᾖ πρὸς πατρὸς μέχρι ἀνεψιῶν παίδων, τοὺς πρὸς μητρὸς κυρίους εἶναι κατὰ τὰ αὐτά.«*

Quae verba homines docti alii aliter interpretati sunt. Praetermitto eos, qui ante Schoemannum in ea inquisiverunt[2]). Illius sententiam[3]) de Theopompi iure propinquitatis equidem cum probem, accurate explicabo. — Optimo iure et Hagniae matrem et Glauconem (vel Glauconem et Glaucum) vicit Theopompus, neque enim matri ullum ius esse et sobrinam[4]) sobrino postponi secundum legem, quae iubet *κρατεῖν τοὺς ἄῤῥενας καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀῤῥένων* apparet ex Isaei orationis § 17. — Matris vero petitio cum repulsa esset, certo eius filiis ex altero marito genitis non licuit hereditatem petere. — Ut hos ita Stratoclis filium Theopompus vicit vicitque iniuria. Omnia enim argumenta, quibus in eum vel in eius tutorem usus est, vera videntur, sunt falsa. Verbis enim *μέχρι τῶν ἀνεψιῶν παίδων* Buermannus[5]) mihi persuasit dici non solum filios sed totam stirpem *ἀνεψιῶν*. Ergo de propinquitatis iure adversarii non dixit verum Isaeus. — Nunc est quaerendum, utrum Phylomache II. ab illo victa sit iure an iniuria. Agnatis successionem dat illa lex[6]) *μέχρι ἀνεψιῶν παίδων*. Quinam sunt illi *ἀνεψιῶν παῖδες*? Synonyma esse *»ἀνεψιῶν παῖδες«* et *»ἀνεψιαδοῖ«* contra Bunsenium[7]) probavit Schoemannus. Idem recte demonstrat non eos solum vocari (a l i c u i u s) *ἀνεψιαδοῦς*, qui patrem habeant huius consobrinum, quo nomine patruelem et amitinum compre-

1) § 2—3, 10—12. Cf. Is. VII, 22.

2) Iam ante Schoemannum Bunsenius l. c. p. 29, 30, 33 maximam in partem similiter atque ille indicavit.

3) Cf. commentarium in Isaei or. XI. p. 451. 455 sqq. — Cf. Grasshoffium l. c. p. 33—42, Buermannum l. c. p. 376.

4) Mater enim Hagniae erat filia Phanostrati, soror Stratii II. — Cf. Is. § 8, 17.

5) l. c. p. 376 sqq.

6) Ita scribendum esse, non *ἀνεψιαδῶν παίδων* Schoemannus l. c. p. 455 exponit.

7) l. c. p. 10.

hensos velimus, sed etiam, quorum patres inter se consobrini sint, quos quidem Latini dicant sobrinos, hos (inter se) vocari et *ἀνεψιαδοῦς* et *ἀνεψιῶν παῖδας* vel *ἐξ ἀνεψιῶν γεγονότας*. Priores illos quinto, hos autem sexto gradu cognatos esse. Illos vero *ἀνεψιῶν παῖδας*, quos ad successionem legislator vocavit postremos ante cognatos maternos, consobrinorum filios fuisse. Tres enim classes[1]) cognatorum factas esse, ex quibus, cum duae priores et fratres et sorores una cum liberis complecterentur, tertiam quoque consentaneum esset consobrinos cum liberis esse complexam, exclusam vero esse remotiorem sobrinorum stirpem. Secundum legem igitur etiam Theopompum Hagniae II. sobrinum ex eius hereditate exclusum fuisse apparet. Tamen hanc non solum petiit, sed abstulit ille, quippe qui, cum esset Hagniae II. sobrinus, eius consobrini filium se esse simularet. Quamquam enim, quod ille in § 8 »*ἐγὼ γὰρ*« inquit »*καὶ Ἁγνίας καὶ Εὐβουλίδης . . . . . . ἐξ ἀνεψιῶν ἐσμεν γεγονότες . . .*« id sane verum est, tamen quod postea in § 10 »*λείπομαί δ'ἐγὼ*« inquit »*μόνος τῶν πρὸς πατρὸς ὢν ἀνεψιοῦ παῖς, ᾧ μόνῳ κατὰ τοὺς νόμους ἐγίγνετο ἡ κληρονομία . . . . . .*«, id manifesto falsum est[2]), id mentitus est Theopompus, ut iudices deciperet. Plures enim, quorum patres sunt inter se *ἀνεψιοί*, inter se recte dicuntur *ἀνεψιῶν παῖδες*, unus vero alterius *ἀνεψιοῦ παῖς* non potest dici nisi is, qui patrem habeat huius ipsius *ἀνεψιόν*. Theopompi autem pater *ἀνεψιὸς* fuit non Hagniae II., sed Polemonis Hagniae II. patris. Ille igitur lege, qua *ἀνεψιῶν παῖδες* ad successionem vocarentur, eos tantum dici, qui patres haberent defuncti *ἀνεψιούς*, ipsi igitur essent huius *ἀνεψιῶν παῖδες*, haud ignarus, non posse *ἀνεψιοῦ παῖδα* alterius esse eum, qui se illumque *ἐξ ἀνεψιῶν γεγονότας* i. e. ex patribus inter se consobrinis paullo ante dixisset, non perspecturos esse iudices sperabat eoque usus est artificio, ut Hagniae II. *ἀνεψιοῦ παῖς* esse videretur. Eo modo etiam tum, cum controversiam cum

---

1) *γένη* cf. Is. XI. 1 sqq.

2) Neque minus falsum est, quod Libanius in argumento ad Isaei orationem XI. »*Ἁγνίας τις*« inquit »*εἶχεν ἀνεψιοὺς πολλούς Θεόπομπον καὶ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ Στρατοκλέα καὶ Στρατίον καὶ Εὐβουλίδην.*« — Qui non consobrini Hagniae II. fuerunt *πρὸς πατρός*, sed sobrini.

Phylomache II. haberet, deceperat iudices, ut sibi Hagniae bona adiudicarent[1]).

Eadem igitur fraude in certamine cum Stratoclis filio usus est. Aliter ac Schoemannus de Theopompi iure et de interpretatione verborum *μέχρι ἀνεψιῶν παίδων* praeter de Boorium[2]) iudicat Rohrmannus[3]). Qui in illa lege sobrinos dici existimat. Ad hereditatem igitur postremos ante maternam cognationem vocari non consobrinorum filios, sed sobrinos. Theopompum autem Hagniae II. esse sobrinum. Iure igitur ab illo victam esse Phylomachen II. Sed huic sententiae ut assentiar fieri non potest. Legis enim verba sunt haec: »*ἐὰν μηδεὶς ᾖ πρὸς πατρὸς μέχρι ἀνεψιῶν παίδων*...« Cuiusnam quaero *ἀνεψιῶν παίδων*? Nonne eius, qui hereditatem reliquerat? Is autem, qui alterius est *ἀνεψιοῦ παῖς*, eius non est sobrinus, sed consobrini filius. Quare postremos ad successionem vocabat lex defuncti consobrinorum filios[4]) vel stirpem.

Haec est sola et recta legis interpretatio. Ergo Theopompum iniuria Hagniae II. hereditatem petiisse et abstulisse videmus.

Sed orator, qui orationem Macartateam composuit, apparet tam imperitus rerum, tam ignarus iuris Attici, ut illam adversarii iniuriam neque demonstret neque plane intellegat. Legem enim de iure hereditario ab intestato orator, quamquam, ut iam supra commemoravi, semel recitari iubet, tamen non amplius explicat atque illustrat. Illa lege Theopompum ex hereditate excludi nulla ratione probat. Multis locis ut in paragraphis 27, 52 ex alia domo atque Hagniam II. esse Theopompum, Phylomachen et Eubulidam III. ex eadem ostendere vult. Oportuit vero oratorem demonstrare Theopompum fuisse *ἀνεψιοῦ παῖδα* Polemonis, non Hagniae II., exclusum igitur ex huius hereditate. Sed ut hoc probet orator tantum abest ut ex nominibus de

---

1) Cf. § 18 »*εἶτα γράψας ἀνεψιοῦ παῖς εἶναι* . . . .«.

2) l. c. p. 56 sqq.

3) l. c. 10—12. Cf. p. 12 »Is. (scil. Theop.) Hagniae II. *ἀνεψιοῦ παῖς* est«.

4) Eo modo iudicant praeter eos, quos iam commemoravi, C. Fr. Hermannus in vol. III. libri de antiqu. Graecis § 60 Adn. 13 p. 303 (ed. I.), Blassius l. c. II. 430. III. 494, Adolfus Wachholtz l. c. p. 28.

propinquitate concludat[1]). Theopompi enim in familia quae nomina in usu sint, ea diversa esse ab eis, quae in Hagniae familiae audiantur. Eubulidae vero familiam unam eandemque esse atque Hagniae iudicibus persuadere conatur Sositheus. Sed si nobiscum recognoscimus tabulam generis, singulis gentibus, quae a Buseli filiis ortae sunt, propria et singularia nomina esse intellegimus, duabus vel compluribus gentibus commune ne unum quidem. Itaque orator si per totam orationem Hagniae Eubulidaeque familias tanquam unam complectitur, non verum eum dicere nos confiteri oportet. Neque vero mentitur tam callide et caute quam Theopompus in priore causa de iure suo, sed ita, ut omnes fraudem facile perspiciant. His argumentis et inanibus et infirmis repugnare non difficile erat. Quare Macartatus si defensorem habuit parem vel similem Isaeo, facile potuit vincere adversarium. Cui ille potuit opponere Phylomachen eiusque maritum quamvis compluribus annis ante victos impetum facere in se possessionesque suas petere non desinere. Nam Sositheum dulcedine possessionis captum Hagniae bonorum recuperandorum spem non abiecisse. Quibus ut potiretur, opportunum ei visum esse tempus et Theopompo mortuo et Eubulida III. nato. Quem ne adversarius exceptione rei iudicatae uti posset, in Eubulidae II. domum adoptatum[2]) esse, non, quod simularet Sositheus, ut et Eubulidae et Hagniae familia servaretur. Quo factum esse, ut de hereditate litigarent non iam ut prius Phylomache II. contra Theopompum, sed Eubulides II. contra Macartatum. Ita legis literam observatam esse. Adoptionem vero ipsam secundum leges[2]) factam esse quamvis concederet, tamen fas esse se negare hereditatem iam patri suo adiudicatam in controversiam vocari a puero, qui nondum natus esset, cum ei adiudicarentur Hagniae bona. Multo enim tempore interiecto cum iam Macartatus iniisset patris hereditatem, illum puerum natum esse. Tunc demum eius parentes denuo in se ut quondam in Theopompum patrem

1) Cf. § 50, 76—77. — § 48 sqq., 73 sqq.

2) Quam adoptionem e legibus factam esse non est quod dubitemus cum Uhlio. Qui quae de argumentatione scriptoris or. Macartateae l. c. p. 11 sqq. 15—16 disserit, recta mihi esse non videntur.

consilia dolosa molitos esse, ut sibi eriperent Hagniae bona. Eandem igitur esse controversiam, novam litis formam. Optimo vero iure multis annis ante a Theopompo illos esse victos. Iudicum autem quae tum fuisset sententia quin in hac quoque causa eadem esset, se non dubitare. Quamquam enim Sositheus ut in priore causa ita in hac mentiretur Phylomachen I., Eubulidae II. matrem, fuisse Polemonis sororem ab eodem patre genitam, Phylomachen II. igitur Hagniae II. consobrini filiam, tamen id mendacium esse iam antea testes affirmasse[1]). In quos de falsis testimoniis lites[2]) Sositheum et Phylomachen intendisse. Has autem esse repulsas. Ex quibus apparere Ph. I. non fuisse Polemonis germanam sororem. Quae si fuit, et prius ei Hagniae hereditatem oportuit adiudicari et in hac causa Eubulidae III. Utcunque vero haec res se habet, id pro certo habeo infirmissimam esse Sosithei argumentationem, quippe qui, ut iam explicavi, Theopompo et Macartato nullum ius propinquitatis esse dicat, non probet. Illum enim Hagniae II. *ἀνεψιοῦ παῖδα* non fuisse nisi demonstraret, iudices, etiamsi Phylomachen I. fuisse germanam sororem eis persuasum esset, Eubulidam III. postponere Theopompo vel, cum is iam mortuus esset, Macartato oportuit secundum legem, quae iuberet: »*κρατεῖν τοὺς ἄῤῥενας καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀῤῥένων.*« — In eo igitur, quod caput erat, debilem se praebere oratorem perspicuum est. Multa vero et inania verba facit de rebus, quae aut omnino non ad rem pertineant aut parvi sint momenti ut de nominibus etc. Itaque orationis maxima pars a re digreditur, supervacanea videtur,

---

1) Cf. Is. XI. 17: »*ὥστε ἡ μὲν τὸν κλῆρον ἔχουσα καὶ οἱ λέγοντες τὸ περὶ αὐτῆς γένος, ἐπειδὴ κατεψεύσαντο, ῥᾳδίως ὑπ' ἐμοῦ τότε ἐξηλέγχθησαν οὐκ ἀληθές τι γράψαι τολμήσαντες* . . . .«

2) Cf. Is. XI. 45 »*κἀμοὶ μὲν ὁ κλῆρος, ὃν Ἁγνίας κατέλιπεν, οὗτος οὔπω βέβαιός ἐστι. δίκαι γὰρ ἐνεστήκασι ψευδομαρτυριῶν* . . .« et Mac. § 1; ubi Sositheus ipse: »*ἐπειδὴ*« inquit »*καὶ πρότερον ἀγῶνες ἐγένοντο ἡμῖν, ὦ ἄ. δ., πρὸς τοὺς αὐτοὺς τούτους περὶ τοῦ κλήρου τοῦ Ἁγνίου* . . .« — Cf. A. Schaeferum l. c. p. 231 Anm. 4: »wenn es § 30 heisst: *ταῦτα δὲ πάντ' ἀδεῶς ἔλεγεν ὁ Θεόπομπος μάρτυρα μὲν οὐδένα παρασχόμενος* . .« so soll damit wohl nur die Erfolglosigkeit der erhobenen Klage bemäntelt werden.« — Cf. Blassium l. c. p. 490 Anm. 3. — Falso iudicat Rohrmannus l. c. p. 25, qui illum ex Isaeo citatum locum omnino non afferat.

minima pars continet argumenta ipsa, eaque argumenta infirma sunt. Quae cum in singulis accurate demonstraverit Rohrmannus, pauca equidem eis, quae iam exposui, adiungam. Quae verba facit de suo ipsius genere in § 73 sqq. Sositheus, ea certo sunt supervacanea. Qui quomodo genere fuerit Hagniae propior quam Theopompus, ut iam antea Reiskius[1]) ita equidem non video. Tum quae in § 18 sqq. de Buselidarum genere exponuntur, sane sunt recta et evidentia ita, ut de eis omnino non possit dubitari. Sed haec omnia non sunt suo loco. Disserit enim orator, tanquam Hagniae I. agatur hereditas[2]). Inania videntur argumenta oratoris, quem cognoscimus et verbosum et ineptum et eum, qui saepe a re digrediatur. Atque primum quidem verbosissimum eum esse praecipue in narratione rerum postea in dissertationis altera parte explicabo. Ineptus deinde apparet in § 32 sqq. ubi Phylomachen prius vicisse quam Theopompum et iuste, Eubulidam III. vero a nullo unquam victum esse dicit. Similiter absurda ea videntur oratoris verba, quibus in § 67 refellere conatur adversarii exceptionem hereditatis diu possessae. Cui nihil aliud opponit nisi oportere illum gaudere fortunaeque gratias habere, quod tam diu Hagniae bonis uti potuerit. Ut haec non sunt argumenta, ita ea, quae etiam atque etiam repetuntur a Theopompo et Macartato ex Hagniae domo eiectos esse eius maxime propinquos ideoque plane vastatam esse eam. Denique saepissime a re digreditur orator. Omnia enim a § 53 usque ad conclusionem cum extra causam ponerentur, eum oportuit omittere[3]). Multae deinceps afferuntur leges, quae ad rem non pertinent[4]). Quibus probaturus est orator propinquis non solum iura, sed etiam officia tributa esse. Illis se functum esse, non esse Theopompum. Nam se Phylomachen II. in matrimonium duxisse Eubulida II. mortuo secundum legem, ne eius et Hagniae domus exstingueretur. Sed quid nos impedit, quominus alia nulla re adductum esse eum, ut illam in matrimonium duceret, nisi spe hereditatis

1) Cf. G. H. Schaeferum appar. V. p. 117.
2) Cf. Rohrmannum l. c. p. 22 sqq.
3) Cf. Rohrmannum l. c. p. 28—31.
4) Cf. § 53—59, 62—66, 75.

statuamus? Theopompus omnino non potuit Phylomachen II. petere, cum Apolexidis Prospaltii filia eius uxor esset[1]). De ceteris legibus, quae recitantur, accurate dicere mihi non proposui. Id commemorare satis sit eas omnes nulla ratione ad causam ipsam pertinere. Nam propinquis num officia sint, quid ad rem? Propius vero ius utri esset, Eubulidaene III. an Theopompo seu Macartato, id oratorem oportuit demonstrare. Sed hic multas proferendo leges quamvis haud aptas ne oraculo quidem omisso videtur occultare infirmam argumentationem suam. Praeter eas leges, in quibus agitur de propinquorum officiis, orator in § 71 recitari iubet legem, quae vetat olivas exstirpari. Quam Theopompum non observasse testimonio confirmat. Illum enim in Hagniae II. fundis plures quam mille olivas excidisse. Quod etiamsi sit verum, quid pertinet ad rem? Immo fieri non potest quin reprehendamus imprudentiam oratoris, qui haec proferat. Ipse enim officium suum neglexit, quippe qui, cum Theopompi delictum videret, non in eum intenderet *γραφὴν παρανόμων*. Reliquum est, ut ne in eis quidem, quae orator in §§ 79 et 80 exponit, Theopompum cum domo sua non esse participem communis Buselidarum sepulcri, certum esse argumentum commemorem. Ergo usque ad conclusionem oratorem cognoscimus similiter atque in oratione XLVIII. et parum callidum et eum, qui multis et inanibus utatur verbis, haud argumentis. Qualem fuisse Demosthenem nemo erit qui putet. — Etenim si conferimus eius genuinas orationes in privatis causis habitas, orationes in Cononem et pro Phormione ut antiquis temporibus summae admirationi fuerunt, ita his ab omnibus laudantur[2]) propter veritatem et simplicitatem in narrando et argumentando. Item orationis in Eubulidam insignem cognoscimus argumentationem esse[3]). Praecipue in his orationibus istas digressiones, quas in eis, de quibus agimus, magnum spatium

---

1) Quae, cum Theopompus controversiam cum Stratoclis filio haberet, diu iam fuerat eius uxor. Macartatus enim iam pridem natus erat adoptatusque in avunculi domum.

2) Cf. A. Schaeferum III. 2. p. 251. 167—168; Blassium III. 1. p. 402 sqq. 407 sqq.

3) Cf. Blassium p. 431.

explere vidimus, non invenimus. Et prioribus temporibus quas orationes Demosthenes contra tutores[1]) habuit, in eis quamquam oratorem fortasse nonnulla in maius extollere concedimus, quamquam interdum spinosa nobis videntur argumenta acutulaeque conclusiones[2]), tamen in eo, quod caput est, acuta apparet argumentatio et ea, quae iudicibus plane persuadeat de Demosthenis iusta causa. — Ab illo igitur orationes, de quibus dissero, certo non profectae sunt. Inter se vero congruunt orationes XLIII. et XLVIII. in simili quadam et imbecilla argumentationis ratione. Quibuscum consentit oratio XXXV. in eo, quod ut in illis ita in hac orator videtur omnino ignorare, quid in causa sua maximi sit momenti; distat vero ab illis in eo, quod in rebus singulis videtur loquacitas non tanta esse, quanta in duabus reliquis orationibus. In omnibus vero illis orationibus oratorem cognoscimus parum acuto et sagaci ingenio praeditum.

Quodsi quaerimus, quomodo factum sit, ut Dionysius Halicarnassensis quamvis acuto ingenio praeditus Demosthenis arte dignas esse censeret harum orationum et Macartateam et eam, quae est in Olympiodorum, Lysiano more compositas eas esse illum iudicare ex capite XIII. illius libri »de admiranda vi in Demosthene« videmus. In utraque enim omnia esse et brevia et vera et simplicia et morata. Quarum virtutum num brevitas et veritas orationum XLIII. et XLVIII. sint propriae, dubium videtur ex eis, quae iam exposuimus, et ex eis, quae postea intellegemus. Simplicitatem vero et illud ἦθος[3]), quae maxime admiratur Dionysius in his orationibus, equidem laudibus efferre non possum. Simplicitatem enim si omnino cognoscimus, ea non est Lysiana, sed omni caret arte. Neque enim magna arte has orationes compositas esse et in proximis accurate explicabimus et iam vidimus. — Illud vero ἦθος, quod in utraque oratione exstare concedo, nihil esse nisi splendidam speciem, qua orator seu improbam suam causam seu debilem argumentationem

---

1) Cf. A. Schaeferum I. p. 261; Blassium p. 199 sqq.

2) Cf. Onet. II. 9.

3) cui Romani non dederunt proprium nomen. Cf. R. Volkmannum »Rhetorik der Griechen und Römer«.

occultare velit, Blassius[1]) rectissime existimat. Quam sententiam ut omnibus probem, multa enumerare possum exempla; sed ex singulis orationibus unum hoc loco afferre satis sit. Sositheo enim saepe ut in § 11 affirmanti se filium in Eubulidae II. phratriam et domum induxisse, ne eius gens interiret, H. Wolfius[2]) iam haec opponit verba: »οὐ μὲν οὖν, ὦ Σωσίθεε, ἀλλ' ἵνα σὺ τὰ χρήματ' ἔχῃς. Nam Sositheo semel a Theopompo victo non licebat denuo in ius de eadem re adire καὶ παλινδικεῖν. Sed cum iniuriam sibi factam putaret, quid facit? Filium suum adoptat Eubulidae ....« Idem Wolfius ad § 12 »ὅπως ἐκ τῆς θυγατρὸς εἰςποιηθῇ αὐτῷ υἱός....« adnotat haec: »cur ergo non primogenitum illi adoptandum dedisti, Sosithee? Quia non tibi familia, sed pecunia curae fuit. ὁ μὲν οὖν λόγος (εὔμορφος), ὁ δὲ λέγων ἄπιστος.« Alterum exemplum exstat orationis XLVIII. in § 2, ubi orator: »εἰ μὲν οὖν« inquit μὴ ἀδικούμενος, ὦ ἄ. δ., ἀλλὰ ψεῦδός τι ἐγκαλῶν Ὀλυμπιοδώρῳ τούτων τι ἐποίουν, ἢ τοῖς ἐπιτηδείοις τοῖς ἐμοῖς καὶ Ὀλυμπιοδώρου μὴ ἐθέλων ἐπιτρέπειν, ἢ ἄλλου τινὸς τῶν δικαίων ἀφιστάμενος, εὖ ἴστε, ὅτι πάνυ ἂν ᾐσχυνόμην καὶ ἐνόμιζον ἂν ἐμαυτὸν φαῦλον εἶναι ἄνθρωπον.« Quid? quod Callistratus ipse ut iudices ita Callippum decepit dolosa fraude, in quam se incidisse ipse confitetur in § 44. Ut per totam utramque orationem falsum illud ἦθος usurpatum invenimus ita in utriusque conclusione[3]) affectum, quod Graeci vocant πάθος. Vitupero Uhlium, qui — ut praetermittam ea, quibus, ut iudices reos oderint, effici exponit; similia enim in omnibus omnium oratorum orationibus invenimus — cum l. c. p. 37 scriptorem orationis XXXV. affectus compositos (ἦθος) plane neglexisse, cum l. c. p. 38, ut misericordia moveatur, in omnibus orationibus[4]) exceptis XXXV. et LII. exponi actores ab adversariis magnis iniuriis affectos esse dicat, idem l. c. p. 40 »ostendisse sibi videtur in orationibus XXXV. XLIII. XLVIII. summos esse affectus et compositos et concitatos sqq.«

1) l. c. p. 494.
2) In appar. G. H. Schaeferi V. p. 89.
3) Mac. 83. Ol. 57.
4) Cf. Mac. 71—72, Ol. 1—3.

Desunt illud ἦθος et illud πάθος in oratione Lacritea. Quare verisimile non videtur hanc eiusdem esse oratoris atque illas orationes.

Orationum vero XLIII. et XLVIII. nonnullas esse vidimus similitudines. Eae fortuitae esse possunt, neque tamen sunt eae — ut imprimis falsum illud ἦθος — parvi momenti, sed efficiunt, ut iudicium, quod aliis certioribus argumentis nacti erimus, confirmetur. Quam vero consensionem hic postremo loco prioris partis disputationis exponam, ea multo maioris momenti videtur esse. In orationibus enim XLIII. et XLVIII. absurdam invenimus legis interpretationem [1]). De utraque simillima et stultissima nihil opus est addere nisi commemorare in Solonis illa lege, qua nitatur Callistratus, de mortuorum testamentis agi. Denique huc mihi videtur pertinere in utraque illa oratione exstare similes locos [2]), ubi archontem orator defendat tanquam eum, qui legibus coactus sit, ut quamvis invitus iniustum aliquid faceret.

Nunc finem facio dissertationis prioris partis, in qua de rebus dixi. Orationes igitur XLIII. et XLVIII. et XXXV. Demosthenis non esse, orationes XLIII. et XLVIII. nonnullis in rebus congruere inter se demonstravi. Denique ab illis dissentire orationem XXXV. commemoro, praesertim cum in hac illud ἦθος desit. Tum vero firmum erit iudicium, si externam formam singularum orationum contulerimus.

II.

Dissertationis igitur quoniam priorem partem, in qua de rebus disserui, usque ad finem perduxi, sequitur, ut accuratius tres illas orationes perscruter, num et quomodo in externa forma i. e. in verbis abhorreant a Demosthene, inter se congruant. Atque ut supra ita hoc loco initium facere mihi liceat a Libanii illo argumento ad orationem Lacriteam, ubi haec verba legimus: ». . . . . . τὸν δὲ Δία τὸν ἄνακτα κατὰ τὴν τοῦ προςώπου τοῦ

1) Mac. 78. Ol. 56.
2) Mac. 8. Ol. 26.

ὑποκειμένου συνήθειαν δῆλός ἐστιν ὠνρμακὼς . . .« Ut ab illa iurisiurandi formula ordiamur, orator in § 40 se nulli unquam invidisse Isocratis discipulorum dicit Cuius rei testes animo commotus perturbatusque Iovem regem et omnes deos esse exclamat. »*ἐγὼ δὲ μὰ τὸν Δία τὸν ἄνακτα καὶ τοὺς θεοὺς ἅπαντας οὐδενὶ πώποτ' ἐφθόνησα οὐδ' ἐπετίμησα* . . .« In qua formula offenderunt et Arnoldus Schaefer[1]) et Fridericus Blass[2]). Quid? Demosthenes ipse nonne invocat saepe et ex omnibus oratoribus Atticis, quorum exstant scripta, saepissime in contionibus et in publicis privatisque orationibus et Iovem et alios deos, ut maiorem dictionis vim efficiat? Sane. Persaepe utitur formula *πρὸς θεῶν* ut XV., 25 vel *μὰ τοὺς θεοὺς* ut XIX, 67. XXI., 205. 207; persaepe Iovem solum aut formula, *μὰ Δία* ut I., 23. VIII., 19. XV., 13. 38 etc. aut formula, quae omnium est frequentissima, *νὴ Δία*, ut VI., 13. 14. IX., 70. XIX., 285. XLI., 12. XLIV., 34 etc. aut formula *πρὸς τοῦ Διός* ut XIV., 12 etc.[3]); interdum invocat Iovem aliosque omnes deos ut XIII., 49. XIX., 45., interdum Iovem aliosque singulos deos ut IX., 65. XXI., 198. Itaque ex his exemplis[4]) videmus Demosthenem saepe iurisiurandi formulis uti. In privatis vero orationibus[5]) multo rarius deos invocat bis omnes deos: in Con. 26, 36; quinquies omnes deos, praecipue Iovem: pro Phorm. 51. 53. 63. in Eub. 50. 59; quinquies Iovem solum: p. Phor. 39. 55. in Con. 34. in Eub. 42. in Onet. II., 10.

Aliae formulae, quas Demosthenes in contionibus publicisque orationibus usurpat, in privatis non exstant. Hoc igitur loco

---

1) l. c. p. 291.

2) l. c. p. 505/506.

3) Saepe additur adhortationis imperativus *φέρε* ut VIII., 34 XV., 26 etc.

4) Permulta exempla invenies apud Rehdantzium in indicibus ad Demosthenem et rhetorico p. 186—187 s. v. *ὑποφορά*, p. 188 s. v. Wechselwirkung et grammatico p. 281 s. v. Schwurformeln. Cf. Blassium l. c. p. 79. 80. 153.

5) Cf. Siggium l. c. p. 421. Praeterea amplior graviorque exstat formula orationis in Con. in § 41 »...*ὀμνύω τοὺς θεοὺς καὶ τὰς θεάς*......«

Iovem ceterosque deos invocari mirum non videtur. Neque vero ullo loco Demosthenes Iovem ita invocat, ut formulae *μὰ Δία* vel *νὴ Δία* addat adiectivum vel substantivum, quo magnitudo Iovis singulari modo exprimatur. Id enim et supervacaneum est, cum Iupiter eo, quod primo loco vel quod solus nominatur, deus summus appareat, neque aptum in privatis orationibus, quas tenue genus dictionis deceat. Itaque Demosthenes poterat et in eadem paragrapho formula uti *οὐ μέντοι μὰ Δία* et dicere in § 44 »*φέρε πρὸς τῶν θεῶν*« et in § 48 »*ἀλλὰ νὴ Δία*« et XLIII., 52 »*οὐ μὰ Δί'* . . .« et 68 »*ὦ Ζεῦ καὶ θεοί*; non debebat scribere neque hoc loco »*μὰ τὸν Δία τὸν ἄνακτα καὶ τοὺς θεοὺς ἅπαντας*« neque XLVIII., 2. »*μὰ τὸν Δία τὸν μέγιστον*[1]).« Videmus igitur in XXXV. et XLVIII. Iovem invocari pari quadam et tumida ratione. Neque vero assentior Libanio, qui consuetudini eius, qui verba faciat, tribui velit hanc iurisiurandi formulam. Id potius statuendum est utriusque orationis illas formulas non esse Demosthenis. Quamquam vero has inter se similes esse concedo, tamen eiusdem oratoris esse nos concludere non oportet. Nam etiam in aliorum orationibus tumidas invenimus iurisiurandi formulas[2]). Formula *νὴ Δία* aut adiuncta aut omissa adversativa particula *ἀλλὰ* persaepe Demosthenes utitur, ut subiectionis figurae, quae Graece vocatur *ὑποφορά*, maiorem efficiat vim[3]). Ita etiam XXXV., 48 hanc formulam videmus positam esse. In qua paragrapho ab oratore, qui cum neque apud undecim viros neque apud archontem neque apud regem neque apud polemarchum neque apud curatores militares Lacrito litem intendi posse demonstret, mercatoriam litem intendere sibi licere probare vult, subiectionis figura aliquoties usurpatur. »*παρὰ τοῖς ἕνδεκα· ἀλλὰ* . . .*ἀλλὰ παρὰ τῷ ἄρχοντι· οὐκοῦν ἐπικλήρων* . . . *ἀλλὰ νὴ Δία παρὰ τῷ βασιλεῖ* . . . . *οὐκοῦν ὑπόλοιπόν ἐστιν οἱ στρατηγοὶ ἀλλὰ* . . . . . .« Perfectam vero et absolutam subiectionis figuram e quatuor membris

---

1) Earum orationum, de quibus dissero, hi septem loci soli sunt, in quibus di invocentur.

2) Cf. Ps. Dem. in Phaenipp. XLII., 6. 17. Cf. A. Schaeferum p. 284. Aeschinem propter tumidissimas formulas a Demosthene illusum esse constat. Aeschin. III., 260. Dem. XVIII., 126—128.

3) Cf. Rehdantzium l. c., Blassium l. c. p. 152.

constare nos docet Hermogenes[1]), quas vocat *πρότασιν, ὑποφορὰν ἀντιπρότασιν, λύσιν* seu *ἀνθυποφοράν*. — Quorum figurae membrorum aut *πρότασις* deesse potest aut *ἀντιπρότασις* aut et *πρότασις* et *ἀντιπρότασις*, quem dicit Hermogenes *κόσμον* i. e. supervacaneum dictionis ornatum. Qui si ut hoc loco deest, alacrior efficitur dictio. Omnibus membris si orator utitur, tranquillam atque remissam efficit dictionem. Talem subiectionem legimus in XLIII., 33: »*ἐπειδὰν οὖν λέγῃ Μακάρτατος, ὅτι ἐνίκησεν ὁ πατὴρ αὐτοῦ Θεόπομπος . . . ὑπολαμβάνετε αὐτῷ ὑμεῖς, ὦ ἄ. δ., ὅτι καὶ ἡ γυνὴ ἐνίκησε . . .*«

Discrepant igitur orationes XXXV. et XLIII. in usu subiectionis. Et omnino statuendum Blassioque concedendum est, orationis XXXV. dictionem esse alacriorem quam orationum XLIII. et XLVIII.

Alias figuras rhetoricas non multas invenimus in his tribus orationibus. Sed ne Demosthenes quidem in privatis causis ut in tenui dictione illis usus est tam crebro quam in contionibus et publicis orationibus. Quare paucas ceteras figuras rhetoricas, quae exstant in his orationibus, ut praetermittam, id tantum commemoro interdum nullo verbo interiecto — si excipimus praepositiones — poni eandem vocem diversis casibus velut *ἕτερος ἑτέρου* XLIII., 61. XLVIII., 9. *ἑκὼν πρὸς ἑκόντα* XLVIII. 54. *οὐδεὶς οὐδενὶ* XXXV., 21.[2]), ita saepe in orationibus XLIII. et XLVIII., semel in XXXV. pronomen *αὐτὸς* coniungi cum casibus pronominis reflexivi: *αὐτὸς αὑτῷ* XLIII., 5. XLVIII., 45. *αὐτὸς αὑτοῦ* XLIII., 47. XLVIII., 16. *αὐτοὺς αὑτοῖς* XLIII., 9. (*ἡμεῖς πρὸς ἡμᾶς αὐτούς*) XLVIII., 7. *αὐτοὶ δι' αὑτῶν* XLIII., 50. *αὐτὸς δι' αὑτοῦ* XLVIII., 15. *αὐτὸς ἐφ' αὑτοῦ* XLVIII., 18 *αὐτοὶ ὑφ' αὑτῶν* XXXV., 27. Cuius usus Demosthenis privatis in orationibus pauca invenimus exempla in LIV. nullum, in LVII. nullum, in XXXVI. duo: 51 *αὐτοὶ αὑτοῖς* 57 *αὐτὸς αὑτῷ*,

---

1) Hermogenes *περὶ εὑρέσεων* III., 4 ed. Walzius Rhett. Graeci III. p. 106 sqq. Exemplum affert e Ps. Dem. VII., 2. Cf. Cornif. ad Her. IV. 23. 33. — Cf. Rehdantzium l. c., Blassium p. 151 Anm. 5. Volkmannum l. c. p. 211, 420.

2) Cf. Blassium l. c. p. 506.

3) Similia exempla invenies apud Demosthenem XXX., 23 *μόνος μόνῳ* LVII., 44 *μηδεὶς μηδενί*. Cf. Rehd. l. c. p. 177.

in orationibus, quas habuit contra tutores, XXVII., 16 *αὐτός θ' ἑαυτόν*, XXX., 2 *αὐτὸν αὑτῷ*. In hac igitur re orationes XLIII. et XLVIII. a Demosthene discrepant, inter se congruunt.

Tum mihi dicendum est de formula[1]), qua orator iudices alloquitur. Demosthenes in contionibus semper formula *ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι* utitur, in publicis privatisque orationibus formulis *ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι* et *ὦ ἄνδρες δικασταί*, praeterquam quod in orationibus, quas contra tutores habuit, altera tantum exstat. In his orationibus, quas tractamus, nusquam legimus formulam *ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι*. Praeterea hae a Demosthenis privatis orationibus dissentiunt in eo, quod in his multo crebrius usurpatur formula *ὦ ἄνδρες δικασταὶ* quam in illis seu *ὦ ἄνδρες δικασταὶ* seu *ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι*. In illis enim, ubi orator iudices ita alloquitur, hi sunt loci: XXVII. 1. 2. 3. 4. 7. 9. 12. 30. 34. 40. 57. 68: in *69* §§: *12*; XXVIII. 15. 19. 22: in *24* §§: *3*; XXX. 1. 3. 6. 9. 12. 25. 26. 33. 34. 35. 37: in *39* §§: 11; XXXI. 1: in *14* §§: *1*; LIV. 1 (bis) 10. 15. 21. 26. 36. 38. 39. 41. 42. 44: in *44* §§: *12*; XXXVI. 1. 4. 11. 14. 17. 18. 19. 22. 23. 25. 26. 28. 29. 30. 32. 33. 36. 40. 51. 55. 57. 59: in *62* §§: *22*; LVII. 1. 2. 4. 6. (bis) 8. 15. 16. 22. 30. 32. 35. 36. 37. 40. 43. 44. 45. 47. (bis) 48. 50. 56. (bis) 58. 59. 60. 62. 64. 70: in *70* §§: *30*; in his[2]) XXXV. in *47*[3]) §§: *32*, XLIII. in *67* §§: *56*, XLVIII. in 58 §§: *37*; illarum igitur in *322* §§: *91*; harum in *172* §§: *125*. Denique usurpari toties deinceps formulam *ὦ ἄνδρες δικασταὶ*, quoties repetitur in XLIII., 1—3 (quater), 17—23 (octies), 31—34 (quater), 47—49 (quater), 79—81 (quater), XLVIII. 1—8 (undecies), 51—53 (quinquies), alienum videtur a Demosthenis consuetudine, qualis apparet in privatis eius orationibus.

Veniamus ad alia! Primo loco ut his temporibus A. Schaeferus, F. Blassius, alii ita antiqui illi, in quos invehitur Libanius, reprehendebant

1) Cf. Sigginum, qui l. c. p. 419 in orationibus pro Apoll. scriptis oratorem multo rarius uti formula, qua alloquatur iudices, quam Dem. in priv. or. demonstrat. — Cf. Uhlium p. 71.

2) Singulos locos affert Uhlius l. c.

3) Dico 47 paragraphos, 9 enim explentur instrumentis item atque in or. Macart. 17 §§.

orationis Lacriteae dissolutum dictionis genus (*τὸ τῆς φράσεως ἀνειμένον*). Quod num his tribus orationibus, de quibus dissero, proprium sit, iam quaerendum est. Atque primum quidem videamus, quomodo in his orationibus ad nova transeatur, quomodo singulae partes inter se coniungantur vel ipsae absolvantur concludanturque. Persaepe oratores priusquam res singulas ipsas aggrediantur, se de his et illis dicturos esse praemittunt neque raro partitione utuntur. Quae a scriptoribus Graecis plerumque inducitur adverbio *πρῶτον*, continuatur adverbiis *ἔπειτα* vel *εἶτα*. Itaque legimus XLIII., 31 *βούλομαι οὖν . . . μαρτ. παρασχέσθαι πρῶτον μὲν ὡς . . . ἔπειτα περὶ τῶν* . . . 35. »*ἀναγίγνωσκε τὰς μαρτυρίας . . . πρῶτον μὲν ὅτι . . . ἔπειτα τὰς . . .*« XLVIII., 6. 11. 15. XXXV., 9. 33. In XLIII., 31 offendens Rohrmannus [1]): »Deinde« inquit »non est rectum, quod dicit scriptor *πρῶτον μὲν*, cum quae respondeat particula *δὲ* frustra quaeras in eis, quae sequuntur, sed aut dicendum erat dempta particula *πρῶτον* — *ἔπειτα* aut particulis additis *πρῶτον μὲν* — *ἔπειτα δὲ* . . . Eadem orationis inconstantia inhaeret § 35, qua legimus: »*ἀναγίγνωσκε* . . .« In hac sententia Rohrmannum erravisse statuendum est. Nam scriptores Graeci plerumque [2]) scribunt *πρῶτον μὲν* — *ἔπειτα* omissa particula *δέ*.

Quin etiam Demosthenes [3]) nusquam addit *δέ* nisi XXII., 17. Praeterea *πρῶτον μὲν* — *ἔπειτα δὲ* exstat in XXXIV., 5. Sed eius orationis originem Siggio dubiam videri supra [4]) attuli. Itaque mihi quidem non suspiciosum videtur, quod in XLIII., 31. 35. XLVIII., 11. 15. XXXV., 33 scriptum est *πρῶτον μὲν*

---

1) l. c. p. 52.

2) Cf. Kruegerum »Griech. Sprachlehre« § 69, 24, 1.

3) Cf. Rehdantzium l. c. Ind. II. s. v. *μὲν* p. 253. Appono exempla ex Dem. II., 1. IV., 3. 34. VI., 3. IX., 9. 75. XV., 8. XVIII., 1. 105. XIX., 32. XX., 95. 100. 127. XXIII., 84. XXIV., 18. LVII, 19. 20. 40. 43. 62. 67. 68. etc. Prooem. 30. 34. 36. — Cf. etiam Doberenzium »Observ. Demosthenicae« p. 6. — Ceteri quoque oratores omnibus fere locis omittunt *δέ*, ut Isocrates nullo loco nisi XVII., 17. 40 scribit *πρῶτον μὲν — ἔπειτα δέ* (XIV., 63 *μάλιστα μὲν — ἔπειτα δέ*). — Cf. etiam Uhlium l. c. p. 93.

4) Cf. supra p. 7.

— ἔπειτα . . ., mirum videtur, quod in XLVIII., 6 exstat: »τὸ μὲν πρῶτον . . . ἔπειτα δὲ . . .« Quodsi πρῶτον μὲν aliter continuatur, in altero membro δὲ partim omittitur partim adiungitur. Omissum est in LIV., 6 »πρῶτον μὲν οὖν — μετὰ ταῦτα οἷα . . .,« adiunctum in XXI., 8 »πρῶτον μὲν . . . μετὰ δὲ ταῦτα . . .,« XXIII., 71 ». . . δεύτερον δέ . . .« In XXIII., 84 legimus »πρῶτον μὲν . . . εἶτα . . . πρὸς δὲ τούτοις . . .« In his orationibus δὲ additum est XLIII., 18 ». . . ἐπειδὴ δὲ . . .«, omissum XLVIII., 40/41 »πρῶτον μὲν οὖν . . . λέγω . . . πάλιν λέγω . . .« In utroque membro deesse posse particulas μὲν et δὲ dicit Rohrmannus. Sane possunt deesse. Sed in Demosthenis veris orationibus nullum exemplum inveni nisi unum in orationis Timocrateae §. 39: »ἀναγνώσεται πρῶτον ὑμῖν τὸν τούτου νόμον, εἶτα τοὺς ἄλλους . . .« Atque ne earum quidem orationum, quae falso ab antiquis Demostheni tributae sunt, ullus locus mihi notus est, ubi desint et μὲν et δὲ, praeter XLVIII., 33. XXXV., 9. Interdum vero πρῶτον μὲν omnino non continuatur ut XXIII., 83. LVII., 7. 9. ita XLIII., 75. XLVIII., 3. 33. XXXV., 18. 42. Hac partitione πρῶτον μὲν — ἔπειτα saepe utuntur oratores, antequam litis instrumenta a scriba recitentur. Praemittit antea orator iudices vel eos qui audiant primum ad hanc legem tum ad illud testimonium attentos convertere animos se velle. Tum se vertit ad scribam publicum, quem instrumenta recitare iubet. Haec et similia in omnibus fere orationibus inveniuntur. Quare certae oriebantur formulae, quibus orator utebatur, antequam litis instrumenta recitarentur. Quarum frequentissima sine dubio est »ὡς δ'ἀληθῆ ταῦτα λέγω, βούλομαι . . .« vel similiter. Quae ut in omnibus orationibus veris Demosthenicis et falsis persaepe usurpatur [1]) ita XLIII., 70. XXXV., 19. 22. — Praetermitto alia, quibus orator ante instrumentorum recitationem aut ad iudices aut ad scribam se vertat, cum ab omnibus oratoribus eaedem formulae usurpatae sint.

Id solum affero Demosthenem in privatis orationibus, ubi

---

1) Cf. XVIII., 115. XIX., 213. XXI., 82. 93. 107. 121. 167. 174. XXXVI., 25. LIV., 9. 29 etc.

scribam recitare instrumenta iubet, plerumque[1]) imperativo uti verbi *λαμβάνειν*. Quod usurpatum invenimus 47 locis, 13 non exstat, quorum octo locis recitatis instrumentis nova deinceps adduntur. Multo rarius in his orationibus usurpatur *λαβέ*: XLIII. 11 loci habent *λαβέ*, 12 non, XLVIII. 2 loci habent *λαβέ*, 8 non, XXXV. 2 loci habent *λαβὲ*, 2 non. — Plerumque ponitur imperativus verborum seu *ἀναγιγνώσκειν* seu *λέγειν*, interdum futurum *ἀναγνώσεται* (scil. scriba). Reliquum est, ut me in XLIII., 35 offendere commemorem. Ubi legimus: »*ἀναγίγνωσκε τὰς μαρτυρίας τὰς ὑπολοίπους, πρῶτον μὲν ὅτι . . . ἔπειτα τὰς ἄλλας ἁπάσας ἀναγνώσεται . . .*« Ubicunque enim scribam recitaturum esse instrumenta verbis oratoris erudimur, eum aut, quod rarissimum est, ut XLIII. 50 de illo loqui tantum in tertia persona, aut a iudicibus aversum ad scribam sola uti secunda persona ut XLIII., 16. XLVIII., 12. XXXV., 33. aut in priore membro de scriba in tertia persona dicere, in altero demum illum alloqui atque ad recitandum excitare videmus ut XLVIII., 3. 11. XXXV., 22., nusquam transire oratorem a persona altera ad tertiam. Quod neque naturae conveniens neque consentaneum est. Quare hoc loco melius scripsisset orator aut »*ἀναγίγνωσκε τὰς μαρτυρίας τ. ὑ. πρῶτον μὲν . . . ἔπειτα τὰς . . .*« aut »*ἀναγνώσεται τὰς μ. τ. ὑ. πρ. μὲν . . . ἔπειτα τὰς ἄλλας ἁπάσας . . . λέγε τὰς μαρτυρίας.*« Instrumentis recitatis quoniam plerumque pars quaedam orationis concluditur, ad novam transit orator. In his orationibus invenimus transitiones bonas aptasque malas ineptasque. Primum de illis pauca dicamus. Quarum plurimis praetermissis eas tantum afferam, quae in singulis orationibus similes exstant. Itaque mihi liceat conferre: et XLIII., 53. 79. XXXV., 50; et XLIII., 11. XLVIII., 28. XXXV., 16[2]). — Sed ex his exemplis nihil posse concludi concedo. Deinceps mihi dicendum est de malis ineptisque transitionibus, quae in his orationibus crebriores

---

1) Cf. Siggium l. c. p. 431.

2) Has similesque transitiones haud raro usurpatas esse cognoscimus praecipue ex Demosthenis oratione in Cononem. Cf. § 11, 38. In eadem oratione saepe transitur particula *τοίνυν*. Cf. § 10, 11, 13 etc. Cf. etiam XXXV., 52 XXXVI., 26. XXXV., 28. LIV., 38. LVII., 59.

sunt bonis illis aptisque. Plurimae exstant in oratione Lacritea. Persaepe oratores priusquam ad proxima transeant, priorem sententiam vel priores sententias breviter complectuntur. Qualis repetitio quamvis recta et apta sit ut XXXVI., 7 LIV., 13. 30. LVII., 29. ita XLIII., 52: »διαῤῥήδην λέγει ὁ νόμος, ὦ ἄ. δ., οἷς δεῖ . . .«, tamen nimis crebro usurpata cum non solum supervacanea, sed inepta vel languida videatur, mali oratoris est, qui nesciat, quomodo idoneus fiat ad proxima transitus. Exempla qui orationes diligenter perleget, inveniet permulta ut XLIII., 41. »τούτων ὅτι βούλεταί τις μαρτυρησάτω αὐτῷ ἀλλ'...« (40. »τούτῳ δ' ὁ βουλόμενος μαρτυρησάτω ἢ ὡς. . .«) 34. »ταῦτα αὐτῷ ὑμεῖς, ὦ. ἄ. δ., ὑπολαμβάνετε καὶ...« (33. »ὑπολαμβάνετε αὐτῷ ὑμεῖς . . .«) 61. »ἔστι δ' ὁ νῦν ἀγὼν καὶ ἡ διαδικασία... περὶ τούτου νῦν ἐστιν ὁ ἀγών.« (cf. § 34). — XLVIII., 14. καὶ ταῦτ' ἔστιν, ἃ . . .« 15. καὶ δὴ καὶ ἔλαθε . . . καὶ ταῦτα ποιῶν ἐλάνθανε . . .« 47. »ταῦτ' ἐχρῆν αὐτὸν . . .« (46. »ἐχρῆν γὰρ αὐτὸν . . .«) 38. »καὶ ἃ μὲν προφασίζεται, ταῦτ' ἐστιν. ἃ μὲν οὖν . . . — XXXV., 32. »καὶ ἃ μὲν ἔλεγε, ταῦτ' οὖν ἦν. ἄξιον δ' . . .« 37. 47. 16. »οὗτος ἦν ὁ πάντα διοικῶν . . .« 17. »οὑτοσὶ δὲ Λ. ἁπάντων ἦν τούτων ὁ ἐξηγητής.« 28. οὗτος γὰρ ἦν ὁ πάντα ταῦτα διοικῶν.« 22. 25. 43. »τούτων ὅ τι βούλεται πεισάτω ὑμᾶς . . .« 39. »οὕτως εἰσὶν οὗτοι κακοῦργοι σοφισταὶ καὶ ἄδικοι ἄνθρωποι . . . 40. »πονηροῦ γὰρ ταῦτ' ἐστι σοφιστοῦ καὶ οἰμωξομένου.« — Instrumentis litis recitatis similiter in his orationibus transitur vel his verbis: »audivistis haec in lege contineri, sed« — vel his: »in syngrapha dilucide constitutum est hoc — sed« — vel aliis. Tali transeundi ratione Demosthenem ipsum saepe usum esse haud ignoro. Huc pertinent praeter alios locos XXXVI., 4. 18. LVII., 24. 39, ex his orationibus XLIII., 55. XLVIII., 35. XXXV., 19. — Neque vero tam laxe usus est Demosthenes tali ratione quam legimus harum orationum nonnullis locis. Praecipue in or. XXXV. dissolute partes inter se iunguntur in §§: 40. 41, 21. 24: »αἱ μὲν πανουργίαι τοιαῦται τῶν ἀνθρώπων τούτων εἰσίν· γέγραπται δὲ μετὰ ταῦτα...« 35: »ἡ μὲν ἀναίδεια τοιαύτη τῶν ἀνθρώπων τούτων ἐστίν· ὑμεῖς δ', ὦ ἄ. δ., ἐνθυμεῖσθε . . .« Cf. XLIII., 72. — Similes sunt porro inter se hac transitiones: XLIII., 68. »οὗτοι μὲν οὖν

τοιοῦτοί εἰσιν ἄνθρωποι, ὦ ἄ. δ., καὶ . . .«, XLVIII., 56. *»Ὀλυμπιόδωρος μὲν τοίνυν τοιουτοσί ἐστιν ἄνθρωπος . . .«*, XXXV., 3. *»οὗτοι μὲν οὖν τοιοῦτοί εἰσιν· ἐγὼ δ' . . .«* et XLIII., 17. *»τοῦ μὲν νόμου ἀκηκόατε· δέομαι δ' . . .«* XLVIII., 57. *»περὶ μὲν οὖν τούτων καλῶς ὁ νομοθέτης ἐπεμελήθη· ἐγὼ δ' ὑμῶν δέομαι. . .«* XXXV., 5. *»ἡ μὲν τουτουὶ Λακρίτου πονηρία τοιαύτη ἐστίν· ἐγὼ δ' ὑμῶν δέομαι . . .«*

Quoniam igitur haec multa transitus exempla earum orationum, de quibus mihi propositum est disserere, attuli, in eis imprimis in Lacritea saepe ad proxima male transiri probasse mihi videor similemque in modum. Quam similitudinem fortuitam esse posse concedo ut propriam eorum omnium, qui nesciant, quomodo singulae orationis partes bene inter se coniungantur. Ex Demosthenis privatis orationibus nonnulla transitionum exempla apponere mihi liceat, e quibus appareat illum multo melius aptiusque singulas partes coniungere: LIV., 9. *»καὶ τὰ μὲν ἄλλα καὶ βλασφημίαν ἔχει τινά, καὶ ὀνομάζειν ὀκνήσαιμ' ἂν ἐν ὑμῖν ἔνια· ὃ δὲ τῆς ὕβρεώς ἐστι . . . . . τοῦθ' ὑμῖν ἐρῶ· ἥδε γὰρ . . . . .«* — LVII., 32. *»προσήκει τοίνυν ὑμῖν βοηθοῦσι τοῖς νόμοις μὴ τοὺς ἐργαζομένους ξένους νομίζειν, ἀλλὰ τοὺς συκοφαντοῦντας πονηρούς· ἐπεὶ . . .«* — XXXVI., cuius orationis praestantissimum exemplum § 41 *»τοσαῦτα μὲν τοίνυν* sqq.« praetermitto, ut addam § 26: *»ὁ μὲν τοίνυν νόμος, ὦ ἄ. Ἀ., σαφῶς οὑτωσὶ τὸν χρόνον ὥρισεν· Ἀπολλόδωρος δ' οὑτοσὶ παρεληλυθότων ἐτῶν πλέον ἢ εἴκοσι τὴν ἑαυτοῦ συκοφαντίαν ἀξιοῖ περὶ πλείονος ὑμᾶς ποιήσασθαι τῶν νόμων . . .«* Qui transitus congruere videtur cum XLIII., 72 *»ὁ μὲν νόμος οὕτως ἰσχυρός. ἐκεῖνο δ' ἐνθυμεῖσθε πρὸς ὑμᾶς αὐτούς, ὦ ἄ. δ., τί ποτ' οἴεσθ' ἡμᾶς πάσχειν ἐν τῷ παρεληλυθότι χρόνῳ . . .«* — Neque vero uterque locus congruit. Nam si diligenter utrumque intuemur, intellegimus in hac oratione dissolute transire oratorem hoc modo: »Lex adeo valet. Illud vero considerate, quid detrimenti praeteritis temporibus ceperimus . . .« in illa apte convenienterque oratorem complecti sententias hoc modo: »Lex tam dilucide tempus constituit. Apollodorus vero plus viginti annis praeteritis calumnias suas vos pluris ducere vult quam leges . . .«

Ut in transitionibus ita in periodorum structuris harum orationum dissolutum agnoscimus dictionis genus. — Magna enim arte compositae sunt comprehensiones, quas in Demosthenis veris orationibus legimus, quas in his, nulla. Quanta arte summus ille orator in structura membrorum orationis sententias certis circumscriptionibus definiat ac determinet, accuratissime probat Dissenius in dissertatione »de structura periodorum oratoria,« quam una cum editione orationis de corona et diligentissima introductione in hanc omnium Demosthenis orationum praeclarissimam in medium protulit[1]). Egregie ille de dispositione membrorum, de divisione sententiarum in partes, de oppositionis formis, de coniunctis periodis, de aliis multis variisque periodorum formis exponit permultaque affert exempla ex Demosthenis orationibus, sed haec quidem omnia e contionibus vel publicis orationibus, nullum e privatis. Itaque quantam Demosthenis laudaverit artem Dissenius, tantam in his orationibus non inesse haud mirum est. Nam in illis contionibus absolutum, in illis summum admiramur oratorem, cui nihil admodum desit[2]). Illum vero ipsum non ab initio tam perfectum fuisse, sed paullatim auctum esse ita, ut postea summam eloquentiae laudem assequeretur, quis est, qui non intellegat? Adde quod privatas orationes plerumque in levibus causis habitas non idem decet quod contiones vel publicas orationes. Illarum enim proprium est tenue dictionis genus[3]). Ex eis igitur periodis, quae maxima arte compositae exstant in Demosthenis contionibus, aestimare non possumus, quas in his orationibus invenimus. Harum normam oportet esse eas complexiones, quas legimus in Demosthenis veris orationibus privatis. Quare Rohrmannus[4]) complura periodorum exempla affert ex prima oratione contra Aphobum desumpta. Hanc potissimum eligit orationem, cum a Demosthene adolescente confecta sit. Etenim qui iam in iuvenilis aetatis opere verba conclusis numerosisque comprehensionibus devinxerit, eum posterioribus vitae temporibus multis variisque studiis exercitatum

---

1) Gottingae 1837.
2) Cic. Brut 9, 35.
3) Cf. supra p. 6.
4) l. c. p. 44 sqq. Cf. Dem. in Aphob. I., 2. 16. 47—48. 60—61.

non posse pravos struere ambitus recte ille iudicat. Cuius orationis periodos et pulcherrimas et artis plenissimas et praeclaras vocat. In eis enim Demosthenem observare legem, quae iubeat oratores iudicialis generis[1]) cum studere brevitati et perspicuitati, tum in comprehensionibus struendis praesertim in privatis causis id semper cavere summa diligentia, ne iusto et aequo longiores sint neve ob id ipsum minus faciles intellectu. Concedendum est Rohrmanno facile posse intellegi quas periodos affert. Neque enim in verbis neque in coniunctione neque in numero offendimus. Omnia inter se apte videntur coniuncta ita, ut magna perspicuitas et concinnitas efficiatur. Sed quamquam aptos et conclusos invenimus ambitus ut in prima oratione contra Aphobum ita in aliis orationibus tutelaribus, adolescentis primis operibus, tamen in eis illi videntur nimis longi pro tenui orationis genere. Quod, si, quam periodum postremo affert ex or. in Aph. I. 60—61 »*τοσαύτης τοίνυν οὐσίας καταλειφθείσης, ὅσην ἐξ ἀρχῆς ἠκούσατε* . . .«, perlegerimus, nobis perspicuum erit. Quam Blassius[2]) recte vocat plane numerosam dignamque oratore nascente, sed propter multas et divisiones et oppositiones nimis amplam praesertim in iudiciali oratione privata. Multo aptius et minus artificiose posterioribus temporibus Demosthenem in privatis orationibus breviores struere periodos. Exemplum affert ex XXXVI., 41 »*τοσαῦτα μὲν τοίνυν χρήματα εἰληφὼς καὶ* . . . . . .« Apponere mihi liceat ex magno exemplorum numero: XXXVI., 33. »*κατ' οὐδὲν τοίνυν, ὦ ἄ. Ἀ., δίκαιον οὐδὲν ἔχων εἰπεῖν ἀναιδεστάτους λόγους ἐτόλμα λέγειν πρὸς τῷ διαιτητῇ, περὶ ὧν προακηκοέναι βέλτιόν ἐσθ' ὑμᾶς ἕνα μὲν τὸ παράπαν μὴ γενέσθαι διαθήκην, ἀλλ' εἶναι τοῦτο πλάσμα καὶ σκευώρημα ὅλον, ἕτερον δ' ἕνεκα τούτου πάντα ταῦτα συγχωρεῖν τὸν πρὸ τοῦ χρόνον καὶ οὐχὶ δικάζεσθαι, ὅτι μίσθωσιν ἤθελεν αὐτῷ φέρειν Φορμίων πολλὴν καὶ ὑπισχνεῖτο οἴσειν.*« — 45. »*καὶ δῆτα θαυμάζω πῶς οὐ λογίζει πρὸς σεαυτὸν ὅτι ἔστιν Ἀρχεστράτῳ τῷ ποτὲ τὸν σὸν πατέρα κτησαμένῳ υἱὸς ἐνθάδε Ἀντίμαχος, πράττων οὐ κατ' ἀξίαν, ὃς οὐ δικάζεταί σοι οὐδὲ δεινά φησι πράττειν, εἰ σὺ μὲν χλανίδα φορεῖς,*

1) Cf. Quint. Inst. IX., 4, 124 sqq.
2) l. c. p. 125—126.

καὶ τὴν μὲν λέλυσαι τὴν δ' ἐκδέδωκας ἑταίραν, καὶ ταῦτα γυναῖκ' ἔχων ποιεῖς, καὶ ζῇς ἀσελγῶς ὥστε καὶ τοὺς ἀπατῶντας αἰσθάνεσθαι, αὐτὸς δ' ἐκεῖνος πολλῶν ἐνδεής ἐστιν. — LIV., 42. »ἀξιῶ τοίνυν ὑμᾶς, ὦ ἄ. δ., πάνθ' ὅσα ἐστὶ δίκαια ἐπιδείξαντος ἐμοῦ καὶ πίστιν προςθέντος ὑμῖν ὥσπερ ἂν αὐτὸς ἕκαστος παθὼν τὸν πεποιηκότα ἐμίσει, οὕτως ὑπὲρ ἐμοῦ πρὸς Κόνωνα τουτονὶ τὴν ὀργὴν ἔχειν, καὶ μὴ νομίζειν ἴδιον τῶν τοιούτων μηδὲν ὃ κἂν ἄλλῳ τυχὸν συμβαίη, ἀλλ' ἐφ' ὅτου ποτ' ἂν συμβῇ, βοηθεῖν καὶ τὰ δίκαια ἀποδιδόναι, καὶ μισεῖν τοὺς πρὸ μὲν τῶν ἁμαρτημάτων θρασεῖς καὶ προπετεῖς, ἐν δὲ τῷ δίκην ὑπέχειν ἀναισχύντους καὶ πονηροὺς καὶ μήτε δόξης μήτε ἔθους μήτ' ἄλλου μηδενὸς φροντίζοντας πρὸς τὸ μὴ δοῦναι δίκην.«

Dissolutas vero et laxas in his orationibus, quas tractamus, exstare complexiones easque non paucas in proximis exponam. Nam ut ordiamur ab oratione Macartatea, iam Rohrmannus [1]) eius complures reprehendit, imprimis illam, quae exstat in paragraphis 6 et 7: »ἐχούσης δὲ τῆς μητρὸς τοῦ παιδὸς τουτουὶ τὸν κλῆρον, ἐπειδὴ ἐνίκησεν ἐν τῷ δικαστηρίῳ ἅπαντας τοὺς ἀμφισβητήσαντας ἑαυτῇ, || οὕτως εἰσὶ μιαροὶ οὗτοι | καὶ οὐκ οἴονται δεῖν οὔτε τοῖς νόμοις τοῖς ὑμετέροις πείθεσθαι οὔτε τοῖς γνωσθεῖσιν ἐν τῷ δικαστηρίῳ, | ἀλλὰ πάντα τρόπον ἐπιχειροῦντες ἀφελέσθαι πάλιν τὴν γυναῖκα τὸν κλῆρον, ὃν ὑμεῖς αὐτῇ ἐψηφίσασθε, συνομόσαντες καὶ συνθήκας γράψαντες πρὸς ἀλλήλους καὶ καταθέμενοι παρὰ Μηδίῳ Ἁγνουσίῳ, Θεόπομπος ὁ τουτουὶ πατὴρ Μακαρτάτου καὶ Γλαύκων καὶ Γλαῦκος ὁ ἡττηθεὶς τὸ πρότερον καὶ ἕτερόν τινα τῶν ἐπιτηδείων τέταρτον προςλαβόντες — Εὐπόλεμος ἦν αὐτῷ ὄνομα — οὗτοι ἅπαντες κοινῇ ἐπιβουλεύσαντες προςεκαλέσαντο τὴν γυναῖκα πρὸς τὸν ἄρχοντα εἰς διαδικασίαν τοῦ κλήρου τοῦ Ἁγνίου, φάσκοντες τὸν νόμον κελεύειν παρὰ τοῦ ἐπιδεδικασμένου καὶ ἔχοντος τὸν κλῆρον προςκαλεῖσθαι, ἐάν τις βούληται ἀμφισβητεῖν.«

Quam periodum diligentissime perscrutatus recte Rohrmannus vocat rudem indigestamque molem. Nimiam enim intercedere inter protasin et apodosin magnitudinis dissimilitudinem; protasin (usque ad verba ἀμφισβητήσαντας ἑαυτῇ) perparvam, apodosin

---

1) l. c. p. 39 sqq.

prope infinitam esse. Quo fieri, ut una cum concinnitate omnis tollatur modus et numerus orationis. Apodosin vero tripartitam nobis molestissimam videri; membrorum enim primum (usque ad v. *μιαροὶ οὗτοι*) breve, alterum (u. a. v. *οὔτε τοῖς γνωσθεῖσιν ἐν τῷ δικαστηρίῳ*) satis breve, tertium longissimum esse, multo longius quam priora membra simul cum protasi. Omnem igitur concinnitatem numerumque nos iudicare necesse est desiderari ita, ut comprehensionis facilitas et perspicuitas penitus tollatur, praesertim cum tertio illo apodosis enuntiato nihil possit cogitari molestius. – Hunc indecorum verborum acervum oratorem melius in duos ambitus distributurum fuisse Rohrmannus censet hoc modo: *νικησάσης δὲ τῆς μητρὸς . . καὶ ἐχούσης τὸν κλῆρον, οὕτως εἰσὶ μιαροὶ οὗτοι, ὥστ' οὐκ οἴονται δεῖν οὔτε τοῖς νόμοις τοῖς ὑμετέροις πείθεσθαι οὔτε τοῖς γνωσθεῖσιν ἐν τῷ δικαστηρίῳ, ἀλλὰ πάντα τρόπον ἐπιχειροῦσιν ἀφελέσθαι πάλιν...... ἐψηφίσασθε συνομόσαντες τοίνυν . . . . . . προςεκαλέσαντο τὴν γυναῖκα πρὸς τὸν ἄρχοντα εἰς διαδικασίαν τοῦ κλήρου, ὡς τοῦ νόμου τοὺς ἀμφισβητεῖν βουλομένους παρὰ τοῦ ἐπιδεδικασμένου καὶ ἔχοντος τὸν κλῆρον προςκαλεῖσθαι κελεύοντος.* Qualem periodum tractavimus, tales exstare in orationibus pro Apollodoro scriptis, quae Demostheni falso tributae sunt, et A. Schaeferus l. c. p. 189 sqq. et Lortzingius [1]) in dissertatione, quae inscribitur »de orationibus, quas Demosthenes pro Apollodoro scripsisse fertur« p. 36 sqq. probaverunt. Tales non exstant in genuinis Demosthenis orationibus. In XLIII. alias multas periodos invenimus deformes. Orator enim cum saepe conglomerat participia quam plurima tum eis utitur, ut cum prioribus proxima artius coniungat — inepta plerumque ratione. Nam propter inscitiam periodos longiores concinne conformandi beneque transeundi prioris sententiae verbum seu idem seu eiusdem notionis repetit ita, ut participio posito hanc cum proxima sententia complectatur. Quae comprehensio si interdum fit, eam non vitupero; vitupero, quod ea usurpata est nimis saepe. Eiusmodi participiales constructiones legimus: XLIII., 10: (*. . . αὐτοὺς μὲν ἑαυτοῖς συναγωνίζεσθαι . . .*) »*καὶ τοῦτον τὸν τρόπον ἐπιβουλευσάντων καὶ συναγωνιζομένων*

1) Berolini 1863.

ἀλλήλοις ἐφ' ἡμᾶς καδίσκων τεττάρων τεθέντων κατὰ τὸν νόμον, εἰκότως, οἶμαι, οἱ δικασταὶ ἐξηπατήθησαν καὶ ἐστασίασαν ἀλλήλοις καὶ παρακρουσθέντες ὑπὸ τῆς παρασκευῆς ἐψηφίζοντο ὅτι ἔτυχεν ἕκαστος.« — et in §§ 14—15 et 77—78. — Ut his locis participiis usus orator proxima cum prioribus comprehendit repetitione, ita omnino saepissime hac usurpata ad proxima transiisse iam supra vidimus ut in § 32: »ὅτι μὲν ἐνίκησεν ... καὶ αὕτη ἐνίκησεν ...« et in §§ 33—34: »ἐπειδὰν οὖν λέγῃ M . . . ὑπολαμβάνετε αὐτῷ ὑμεῖς . . . ταῦτα αὐτῷ ὑμεῖς ὑπολαμβάνετε καὶ ὅτι . . .« — Molestas igitur et inconcinnitates et repetitiones quoniam cognovimus in oratione Macartatea, in quo offendamus, hoc unum restat. Plerumque enim orator singulas sententias paratactice coniungit sine ulla arte. Tales autem paratacticas comprehensiones qui ignarus concinnas rotundasque periodos struendi etiam atque etiam usurpat, in eo dissolutum agnoscimus dictionis genus. Macartateae vero orationis sententias quis est qui neget persaepe tam laxe inter se iunctas esse, ut foedissimae existerent continuationes, praesertim cum, qui hanc orationem scripsit, comprehensiones interdum conformaret longas et prope infinitas. — Paratacticae structurae exempla invenimus in hac oratione permulta, ut praecipue apparet e creberrimo particulae καὶ[1]) usu; non dico eam copulam, quae substantivum cum substantivo, adiectivum cum adiectivo, omnino alterum sententiae membrum cum altero coniungit, sed eam, quae singulas sententias inter se coniungat, quae transitum ad novam sententiam efficiat. Sic καὶ usurpatum est in paragraphis: 3, 4 (bis), 5, 8, 9, 10 (bis), 11, 13, 14, 15, 19 (sexies), 22, 23, 24, 32, 34, 38, 48 (bis), 50, 52, 62, 69 (bis), 73 (bis), 77, 79, 82, 84: *37*[2]) loci in *67* paragraphis. Boni oratoris est et paratactice positis particulis μὲν — δὲ et hypotactice comprehendere complures sententias ita, ut periodus evadat rotunda et absoluta. Quales qui conformare potest

---

1) De particulae καὶ crebro usu dico, quod in paratacticis constructionibus ea est simplicissima et frequentissima particula, qua qui utitur, ut sententias inter se iungat, haud ita magna vel omnino nulla arte eget.

2) 26 ex sententia Uhlii, qui 39 solum praebet orationi XLVIII., 19 orationi XXXV.

eum interdum aptissime paratactica coniunctione uti consentaneum est. Itaque ne in eis quidem orationibus privatis, quae sine dubio Demosthenis sunt, desunt comprehensiones paratacticae, sed rarius usurpantur et modice. Quare particulam *καὶ* ea quam statuimus ratione in illis orationibus non tam saepe legimus quam in Macartatea: XXVII., 5, 7, 8, 10, 11 (bis), 12, 13, 14, 18, 26, 30, 39, 54 (bis), 62, 64, 67 (bis): *19* loci in *69* §§. — XXVIII., 1 (bis), 9, 10, 17: *5* loci in *24* §§. — LIV., 2, 8, 9 (bis), 10, 12, 18, 22, 24 (bis), 27, 35, 41: *13* loci in *62* §§. — Quas orationes si conferimus Macartateae, id praecipue animadvertendum est, in illis rarissime particulam *καὶ* bis deinceps vel compluries ita poni, in hac saepe. Quin etiam in § 19 sexies usurpatam invenimus eam: »*Βούσελος γὰρ . . . καὶ τούτῳ ἐγένοντο . . . καὶ οὗτοι ἅπαντες . . . καὶ διένειμεν αὐτοῖς . . . νειμάμενοι δὲ . . . ἕκαστος ἔγημε . . . καὶ παῖδες ἐγένοντο . . . καὶ ἐγένοντο πέντε οἶκοι . . . καὶ χωρὶς ἕκαστος ᾤκει . . .*«

Quo loco quid dissolutius cogitari potest? Num nobis Demosthenis talem narrationem esse putare licet? Immo vero ea est puerilis dictio, non summi oratoris.

Ergo in periodorum structuris orationis XLIII. agnoscimus dissolutum dictionis genus, quod plane abhorret a Demosthenis arte. Ut in Macartatea ita in oratione, quae est in Olympiodorum, concinnas et numerosas periodos non invenimus; sed male et laxe singulae sententiae inter se conexae sunt. Duram et molestam continuationem affert A. Schaeferus paragraphi 39: »*ἃ δ' ἐγὼ ἐρῶ πρὸς ὑμᾶς, ὅτι οὗτος ψεύδεται, ταῦτα δὲ ὑπόνοια οὐδεμία ἔσται, φανερῶς δ' ἐπιδείξω τὴν τούτου ἀναισχυντίαν, τεκμήρια λέγων . . .*« Praeter hanc quamquam, qualem Macartateae orationis paragraphi 6 sqq. ambitum supra exposuimus, talem in hac oratione nullum me invenisse concedo, tamen parum rotundas, nimis dissolutas plerasque comprehensiones esse intellegimus. Nam in hac quoque oratione persaepe et inepte repetitiones usurpantur ad singularum sententiarum complexionem, cuius rei exemplum legimus in § 16: »*ὑποψία τις ἐγένετο . . . ἐκ δὲ ταύτης τῆς ὑποψίας ἐδόκει ἐμοὶ κ. τ. Ὀ. βασανίζειν τὸν ἄνθρωπον καὶ ὁ ἄνθρωπος . . .*«

Quin etiam in eo utraque oratio consentit, quod orator, ut repetitione complexionem quandam efficiat, nimis saepe participiis utitur; cuius participialis usus multa exempla afferre possum, ex quibus nonnulla appono: § 10 »*ὑπενοοῦμεν γὰρ . . . ταῦτα δὴ πάντα προνοούμενοι* . . .«, § 13 »*διελὼν δ' ἐγὼ* . . .« (§ 12 *διεῖλον ἐγώ*), § 32 »*ἐνίκησεν οὗτος ῥᾳδίως· νικήσας δὲ* . . .«; praecipue § 25 sqq.: »*ἐπειδὴ δ' ἐκάλει ὁ ἄρχων εἰς τὸ δικαστήριον ἅπαντας τοὺς ἀμφισβητοῦντας κατὰ τὸν νόμον, ὑπωμοσάμεθα ἡμεῖς τουτονὶ Ὀλυμπιόδωρον δημοσίᾳ ἀπεῖναι στρατευόμενον. ὑπομοθέντος δὲ τούτου ἀνθυπωμόσαντο οἱ ἀντίδικοι καὶ διαβάλλοντες Ὀ. τ. ὕστεροι ἡμῶν λέγοντες ἔπεισαν τοὺς δικαστὰς ψηφίσασθαι τῆς δίκης ἕνεκ' ἀπεῖναι τουτονὶ καὶ οὐ δημοσίᾳ. ψηφισαμένων δὲ ταῦτα τῶν δικαστῶν διέγραψεν ὁ ἄρχων Π. κ. τ. ν. τὴν τουτουὶ Ὀ. ἀμφισβήτησιν. γενομένων δὲ τούτων ἐπεδίκασεν . . . . . . ἐπειδὴ δὲ ἐπεδικάσαντο* . . . . . .«

Paratacticis denique structuris haec oratio non minus plena est quam illa. Nimis saepe enim posita est particula *καὶ* eo sensu, quem supra explicavimus, in §§: 5 (ter), 6, 7, 8, 9, 11, 14, 15 (quater), 16, 17 (bis), 18, 19, 20 (bis), 21 (ter), 22, 23, 24 (ter), 27, 28, 29, 31 (quater), 32 (bis), 33, 44 (bis), 49, 50, 51 (ter), 53, 56, 58: *48* loci in *58* §§.

Neque ita paucis locis particula *καὶ* compluries deinceps usurpatur, praecipue in §§: 5, 15 »*καὶ δὴ καὶ ἔλαθε τὸν Κόνωνα — καὶ πρῶτον μὲν ὑφαιρεῖται . . . καὶ ταῦτα ποιῶν . . . καὶ τὸ ἀργύριον* . . .«, 20—21; 24 »*καὶ κατὰ τύχην . . . ὑμεῖς ἐπείσθητε . . . καὶ ἔδει καὶ τ. Ὀ. στρατεύεσθαι, καὶ ᾤχετο μετὰ τῶν ἄλλων στρατευόμενος· καὶ συνεβεβήκει* . . . . . .« —, 31. Ergo ne hanc quidem orationem in struendis periodis non laborare dissoluto dictionis genere nos statuere oportet. Distat igitur ea a Demosthene, congruit cum Macartatea.

Reliquum denique est, ut de oratione Lacritea dicamus. In laxa et dissipata structura et A. Schaeferus[1]) et Fr. Blassius[2])

1) l. c. p. 291.
2) l. c. p. 506 Anm. 2.

cum interdum aptissime paratactica coniunctione uti consentaneum est. Itaque ne in eis quidem orationibus privatis, quae sine dubio Demosthenis sunt, desunt comprehensiones paratacticae, sed rarius usurpantur et modice. Quare particulam καί ea quam statuimus ratione in illis orationibus non tam saepe legimus quam in Macartatea: XXVII., 5, 7, 8, 10, 11 (bis), 12, 13, 14, 18, 26, 30, 39, 54 (bis), 62, 64, 67 (bis): *19* loci in *69* §§. — XXVIII., 1 (bis), 9, 10, 17: *5* loci in *24* §§. — LIV., 2, 8, 9 (bis), 10, 12, 18, 22, 24 (bis), 27, 35, 41: *13* loci in *62* §§. — Quas orationes si conferimus Macartateae, id praecipue animadvertendum est, in illis rarissime particulam καί bis deinceps vel compluries ita poni, in hac saepe. Quin etiam in § 19 sexies usurpatam invenimus eam: »*Βούσελος γὰρ . . . καὶ τούτῳ ἐγένοντο . . . καὶ οὗτοι ἅπαντες . . . καὶ διένειμεν αὐτοῖς . . . νειμάμενοι δὲ . . . ἕκαστος ἔγημε . . . καὶ παῖδες ἐγένοντο . . . καὶ ἐγένοντο πέντε οἶκοι . . . καὶ χωρὶς ἕκαστος ᾤκει . . .*«

Quo loco quid dissolutius cogitari potest? Num nobis Demosthenis talem narrationem esse putare licet? Immo vero ea est puerilis dictio, non summi oratoris.

Ergo in periodorum structuris orationis XLIII. agnoscimus dissolutum dictionis genus, quod plane abhorret a Demosthenis arte. Ut in Macartatea ita in oratione, quae est in Olympiodorum, concinnas et numerosas periodos non invenimus, sed male et laxe singulae sententiae inter se conexae sunt. Duram et molestam continuationem affert A. Schaeferus paragraphi 39: »*ἃ δ' ἐγὼ ἐρῶ πρὸς ὑμᾶς, ὅτι οὗτος ψεύδεται, ταῦτα δὲ ὑπόνοια οὐδεμία ἔσται, φανερῶς δ' ἐπιδείξω τὴν τούτου ἀναισχυντίαν, τεκμήρια λέγων . . .*« Praeter hanc quamquam, qualem Macartateae orationis paragraphi 6 sqq. ambitum supra exposuimus, talem in hac oratione nullum me invenisse concedo, tamen parum rotundas, nimis dissolutas plerasque comprehensiones esse intellegimus. Nam in hac quoque oratione persaepe et inepte repetitiones usurpantur ad singularum sententiarum complexionem, cuius rei exemplum legimus in § 16: »*ὑ π ο ψ ί α τις ἐγένετο . . . ἐκ δὲ ταύτης τῆς ὑ π ο ψ ί α ς ἐδόκει ἐμοὶ κ. τ. Ὀ. βασανίζειν τὸν ἄ ν θ ρ ω π ο ν· καὶ ὁ ἄ ν θ ρ ω π ο ς . . .*«

Quin etiam in eo utraque oratio consentit, quod orator, ut repetitione complexionem quandam efficiat, nimis saepe participiis utitur; cuius participialis usus multa exempla afferre possum; ex quibus nonnulla appono: § 10 »*ὑπενοοῦμεν γὰρ . . . ταῦτα δὴ πάντα προνοούμενοι . . .*«, § 13 »*διελὼν δ' ἐγὼ . . .*« (§ 12 *διεῖλον ἐγώ*), § 32 »*ἐνίκησεν οὗτος ῥαδίως· νικήσας δὲ . . .*«; praecipue § 25 sqq.: »*ἐπειδὴ δ' ἐκάλει ὁ ἄρχων εἰς τὸ δικαστήριον ἅπαντας τοὺς ἀμφισβητοῦντας κατὰ τὸν νόμον, ὑπωμοσάμεθα ἡμεῖς τουτονὶ Ὀλυμπιόδωρον δημοσίᾳ ἀπεῖναι στρατευόμενον. ὑπομοθέντος δὲ τούτου ἀνθυπωμόσαντο οἱ ἀντίδικοι καὶ διαβάλλοντες Ὀ. τ. ὕστεροι ἡμῶν λέγοντες ἔπεισαν τοὺς δικαστὰς ψηφίσασθαι τῆς δίκης ἕνεκ' ἀπεῖναι τουτονὶ καὶ οὐ δημοσίᾳ. ψηφισαμένων δὲ ταῦτα τῶν δικαστῶν διέγραψεν ὁ ἄρχων Π. κ. τ. ν. τὴν τουτονὶ Ὀ. ἀμφισβήτησιν. γενομένων δὲ τούτων ἐπεδίκασεν . . . . . . ἐπειδὴ δὲ ἐπεδικάσαντο . . . . . .*«

Paratacticis denique structuris haec oratio non minus plena est quam illa. Nimis saepe enim posita est particula *καὶ* eo sensu, quem supra explicavimus, in §§: 5 (ter), 6, 7, 8, 9, 11, 14, 15 (quater), 16, 17 (bis), 18, 19, 20 (bis), 21 (ter), 22, 23, 24 (ter), 27, 28, 29, 31 (quater), 32 (bis), 33, 44 (bis), 49, 50, 51 (ter), 53, 56, 58: *48* loci in *58* §§.

Neque ita paucis locis particula *καὶ* compluries deinceps usurpatur, praecipue in §§: 5, 15 »*καὶ δὴ καὶ ἔλαθε τὸν Κόνωνα — καὶ πρῶτον μὲν ὑφαιρεῖται . . . καὶ ταῦτα ποιῶν . . . καὶ τὸ ἀργύριον . . .*«, 20—21; 24 »*καὶ κατὰ τύχην . . . ὑμεῖς ἐπείσθητε . . . καὶ ἔδει καὶ τ. Ὀ. στρατεύεσθαι, καὶ ᾤχετο μετὰ τῶν ἄλλων στρατευόμενος· καὶ συνεβεβήκει . . . . . .*« —, 31. Ergo ne hanc quidem orationem in struendis periodis non laborare dissoluto dictionis genere nos statuere oportet. Distat igitur ea a Demosthene, congruit cum Macartatea.

Reliquum denique est, ut de oratione Lacritea dicamus. In laxa et dissipata structura et A. Schaeferus[1]) et Fr. Blassius[2])

1) l. c. p. 291.
2) l. c. p. 506 Anm. 2.

offenderunt, praecipue propter nimis frequentem usum copulae *καὶ* et propter pravam complexionem sententiarum malosque transitus, de quibus iam supra disserui et in §§ 1 sqq. et 3 sqq. et 6 sqq. Praeterea in § 4 animadvertimus constructionis mutationem »*καθ' οὕσπερ τ. σ. ἐποιησάμην ἀδελφῷ ὄντι τούτῳ ἐκείνου καὶ ἔχοντι . . . καὶ κληρονόμῳ ὄντι . . . καὶ οὐκ ἂν ἔχοντος τούτου δεῖξαι* . . . . .« Particulam vero *καὶ* illo sensu, quem exposuimus, haud minus in hac oratione quam in illis paratactice usurpatam invenimus in paragraphis: 5, 6, 7, 8, 16, 22, 28, 29 (quinquies), 30 (bis), 31 (bis), 32, 33, 37, 42, 45, 47, 49, 53 (bis), 56: *26* loci in *47* §§.

Compluries deinceps ita posita est et in § 29 »*καὶ τὸ μὲν πλοῖον ὥρμει . . . καὶ ἡμεῖς προσιόντες διελεγόμεθα, καὶ ἐκελεύομεν, ... καὶ ἡμεῖς τούτοις προσῇμεν καὶ ἅμ' ἐπεσκοποῦμεν* . . .« et in §§ 30—31.

Conclusas ut periodos strueret, ne ei quidem contigit, qui hanc orationem scripsit. Adde, quod etiam in hac nonnullae exstant repetitiones, quales in ceteris duabus orationibus observavimus, imprimis participia ut in § 31 »*Λάκριτος ναυαγῆσαι ἔφη τὸ πλοῖον . . . . . ναυαγήσαντος δὲ τοῦ πλοίου* . . .«, § 52 ». . . *ἃ ἐδανείσαντο . . . δανειζομένου γὰρ* . . .«

Quamquam vero concedendum est eas constructiones participiales non tam frequentes exstare quam in illis, in hac non tam deformes continuationes, tamen id certum est a Demosthenis arte struendi multum distare eius, qui Lacriteam orationem composuit.

Restat, ut *ἀνακόλουθα* apponam: § 7 ». . . *καὶ ἐδέοντό μου δανεῖσαι . . . οὐδὲν εἰδὼς . . . οὐδ' ὁ Θρ. τὴν τούτων πονηρίαν, ἀλλ' οἰόμενος* . . .« et § 36 »*κατεχόμενοι δ' ὑφ' ἡμῶν καὶ ἐλεγχόμενοι εἶτε . . . ἀπεκρίνατο Λ. οὑτοσί, ὅτι* . . .«

Quod si in causas inquiremus tam pravae structurae, praecipuam oratoris esse loquacitatem statuemus. Latitudinem enim verborum cum in explicandis seu gravibus seu levibus argumentis tum in narrandis seu magnis seu parvis rebus cognoscimus in eis orationibus, de quibus dissero, summam minimeque aptam privatis causis. Hanc autem verbositatem propriam esse dissoluti dictionis generis cum ex aliis causis tum apparet ex

eo, quod in eis ipsis paratacticis continuationibus, in quibus particula *καὶ* compluries deinceps usurpata est ad complexionem sententiarum, maximam reprehendimus verborum latitudinem. Quod dicendi genus recte vocat Lortzingius[1]) epicum, non dramaticum, quod cum omnem oratorem deceat tum Demosthenis proprium sit. Loquacitate igitur ne dicam garrulitate laborare has orationes in proximis accurate exponam. Etenim ut a Macartatea oratione ordiar, si non plurima at permulta, quae in hac seu in narratione seu in argumentatione afferuntur, ad causam non pertinere ostendi. Isaeum vero in oratione, quam scripsit de eadem hereditate, perspicuitati et brevitati studere intelleximus. Haud mirum igitur, quod is rotundas et concinnas conformavit periodos. E multis exemplis satis sit unum[2]) afferre, e quo dilucide appareat, quomodo inter se differant dictionis genere Isaeus, quippe qui brevitate excellat, et is, qui XLIII. scripsit, quippe qui verbositate laboret. Ille enim narrationis initium hoc modo facit in § 8: *»ἐγὼ γὰρ καὶ Ἁγνίας, ὦ ἄ., καὶ Εὐβουλίδης καὶ Στρατοκλῆς καὶ Στρατίος ὁ τῆς Ἁγνίου μητρὸς ἀδελφὸς, ἐξ ἀνεψιῶν ἐσμεν γεγονότες, καὶ γὰρ οἱ πατέρες ἡμῶν ἦσαν ἀνεψιοὶ ἐκ πατραδέλφων«*, de eis igitur tantum dicit, quos propter proximam narrationem nominari necesse est. Hic vero incipit a Buselo, generis auctore, tum de eius quinque filiis multa facit verba, deinde commemorat res, quae omnino non pertinent ad causam eaque omnia narrat summa verborum copia, summa garrulitate. Quo fit, ut omnia fere, quae continentur in §§ 19—21, supervacanea videantur. Quam narrationem verbositate superari posse equidem nego. Multo breviora magisque perspicua sunt, quae in oratione LVII. qui loquitur de genere suo exponit[3]).

Praeter hanc longam molestamque narrationem, quo exemplo dilucidius esse nullum potest, tria alia affert Rohrmannus[4]), e quibus, quam verbosus sit orator, eluceat: § 12 *»ἐκεῖνος γὰρ*

1) l. c. p. 35.
2) Cf. Blassium II. 470. II. 533—534.
3) LVII. 37—38. Cf. etiam § 20—21.
4) l. c. p. 48—51.

. . .«, § 14 »καὶ οἱ φρατέρες . . .«, § 18 »τὸ μὲν οὖν πρῶτον διενοήθην, ὦ ἄ. δ., γράψας ἐν πίνακι ἅπαντας τοὺς συγγενεῖς Ἁγνίου, οὕτως ἐπιδεικνύειν ὑμῖν καθ' ἕκαστον. ἐπειδὴ δ' ἐδόκει οὐκ εἶναι ἐξ ἴσου ἡ θεωρία ἅπασι τοῖς δικασταῖς, ἀλλ' οἱ πόῤῥω καθήμενοι ἀπολείπεσθαι, ἀναγκαῖον ἴσως ἐστὶ τῷ λόγῳ διδάσκειν ὑμᾶς· τοῦτο γὰρ ἅπασι κοινόν ἐστιν. πειρασόμεθα δὲ καὶ ἡμεῖς ὡς ἂν μάλιστα δυνώμεθα διὰ βραχυτάτων ἐπιδεῖξαι περὶ τοῦ γένους τοῦ Ἁγνίου.« Atque alia permulta exstant in XLIII. verbositatis exempla, quae si omnia numerare vellem, totam adscribere orationem mihi opus esset. Sed in singulis qualis sit haec verborum latitudo demonstrabo. Summum vero taedium efficitur crebris repetitionibus et verborum et sententiarum. Nam etiam atque etiam eadem verba, eaedem sententiae usque ad nauseam repetuntur. Ut enim, cum de ratione transeundi et struendi diceremus, multas cognovimus supervacaneas repetitiones, ita omnino huius orationis in omnibus fere paragraphis bis vel compluries deinceps eadem verba posita sunt vel eadem sententia repetitur molesta ratione et inutili. Quales repetitiones invenimus iam in primis duabus paragraphis: »οὐδὲν παύονται — οὐδὲν παύονται ῥᾷον παρακολουθήσετε — παρακολουθεῖν ἀνάγκη . . τὰ πραχθέντ' . . διηγήσασθαι — πειράσομαι . . διδάσκειν . . περὶ τῶν πεπραγμένων«, — itemque in paragraphis: 3. γένει οὖσα ἐγγυτάτω — γένει μὲν ὡς ἐγγυτέρω . .; 4. ψευδεῖς ἧκον κατ. — αἱ δ. . . . ἐξηλέγχθησαν ψευδεῖς οὖσαι; 12. τούτου ἀπέτυχε καὶ οὐκ ἐγένετο . . . .; 15. προςεκαλέσατο — ἡ πρόςκλησις ἐγένετο, προςεκαλέσαντο; 16. ἡ πρόςκλησίς ἐστι . . .; 17. δέομαι ὑμῶν — δέομαι ὑμῶν; 22. οἰκειότερός ἐστι καὶ προςήκει μᾶλλον; 27. ὄνομα τῶν ἐν τῷ νόμῳ εἰρημένων καὶ μέχρι ὧν ὁ νόμος κελεύει . . . ὄνομα τῶν ἐν τῷ νόμῳ εἰρημένων . . .; 32—33. ἐνίκησεν sexies; 48. 50. οὐδὲ παραπλήσιον bis; 55/56. ἐπιδικάζεσθαι — ἐπεδικαζόμην, ἠμφισβήτησε — ἀμφισβητῆσαι; 59. προστάττουσι — προστάττουσι — προςτάττοιεν; 63. ἡ Πολέμωνος ἀδελφὴ — ἀδελφὴ γὰρ ἦν Πολέμωνος; 66/67. ταὐτὰ λέγει — ταὐτὰ λέγει . . .

Eo modo per totam orationem pronomina αὐτὸς et οὗτος[1]) repetuntur imprimis in paragraphis: 3. τουτουὶ γὰρ τοῦ παιδὸς

1) Quam eandem repetitionem in orationibus pro Apollodoro scriptis observaverunt A. Schaeferus l. c. p. 188 et Lortzingius l. c. p. 34.

— τοῦ κλήρου τουτουί . . .; 11. οὑτοσὶ ὁ παῖς — τὸν παῖδα τουτονί . . .; 13—15. ταῦτα — τὸν παῖδα τουτονὶ — ὁ τουτουὶ — πατὴρ — καὶ αὐτὸς οὗτος — τουτουὶ — αὐτὸν μὲν τοῦτον — ὁ παῖς οὑτοσὶ — παρόντος τουτουὶ Μ. — τὸν παῖδα τουτονὶ — ταῦτα — τῶν τουτουὶ Μ. — ὁ παῖς οὑτοσὶ — τῷ παιδὶ τούτῳ — οὗτοι — τὴν τουτουὶ μητέρα; 19. τούτῳ — οὗτοι — αὐτοῖς — αὐτῶν — αὐτοῖς — τούτων; 21, 26, 34, 72 »ὑπὸ τούτων καὶ ὑπὸ τῆς ὕβρεως τῆς τούτων . .«

Quo vero clarius non est huius rei exemplum, ubicunque fere dicitur de Theopompo, additur[1]) ὁ τουτουὶ πατὴρ Μακαρτάτου. Suffecisset enim, si orator scripsisset ὁ Θεόπομπος, praesertim cum tota oratione de uno eodemque Theopompo ageretur. Sed multo plurimis locis legimus ὁ τουτουὶ πατὴρ Μακαρτάτου in paragraphis: 4, 5, 7, 13 (21 ὁ τουτουὶ πρόγονος Μ.), 24, 27, 28, 29, 33, 41, 80, similiterque 59 Θεοπόμπῳ τῷ πατρὶ τῷ τούτου, 60 Θ. ὁ τουτουὶ πατήρ, et aliis locis: Θ. ὁ πατὴρ τοῦ Μ. 17, 21, 33, 34, 47, 55 (bis), aliis attributis additis: 20, 25, 26 (bis), 30, 33, 34, 47, 48 (bis), 52 (bis), nullo attributo adiecto quatuor locis: 56, 64, 67, 69.

Iam ex his exemplis cognoscimus frequentem repetitionem non solum pronominis demonstrativi, sed etiam nominum. Neque rarius Macartati nomen legimus in §§: 4, 5, 7, 13, 14 (bis), 15, 17, 21 (ter), 22, 24, 26 (bis), 27, 28, 29, 33, 34 (bis), 41, 47, 48 (bis), 49, 52, 55, 59, 60, 64, 65 (bis), 67, 77 (bis), 80, 81, 82: *39* loci in *67* §§.

Multo rarius adversarius nominatur in Demosthenis veris privatis orationibus: LIV. 1, 3, 7, 8, 13, 15, 16, 20, 24, 31[2]) (ter), 32, 39, 40 (bis), 41 (bis), 42, 43 (bis): *21* loci in *44* §§. (Cononis nomen). LVII. 1, 4, 8, 15, 16, 26, 30, 31, 32, 48, 59, 60 (bis), 61: *14* loci in *69* §§. (Eubulidae nomen). XXXVI. 2, 3, 11, 14, 16, 18 (bis), 22, 26, 28, 56, 57, 60: *13* loci in *62* §§. (Apollodori nomen).

---

1) Cf. Rohrmannum l. c. p. 38.

2) In eo quod compluries deinceps Cono nominatur, offendere non possumus, cum in eius paragraphi verbis »Διότιμος . . . Ἀρίστωνα« testimonium contineatur.

Porro uno eodemque loco persaepe idem nomen compluries deinceps positum est, cuius usus unum et gravissimum exemplum affero: 24 »τῆς Φυλομάχης δὲ τῆς ἀδελφῆς τῆς Πολέμωνος καὶ Φιλάγρου, ᾧ ἔδωκεν αὐτὴν ὁ ἀδελφὸς Πολέμων ἀνεψιῷ ὄντι ἑαυτοῦ (ὁ γὰρ Φίλαγρος υἱὸς ἦν Εὐβουλίδου τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ Ἁγνίου), τοῦ δὴ Φιλάγρου τοῦ ἀνεψιοῦ τοῦ Πολέμωνος καὶ τῆς Φυλομάχης τῆς ἀδελφῆς τῆς Πολέμωνος ἐγένετο υἱὸς . . . καὶ οὗτοι μὲν υἱεῖς ἐγένοντο Πολέμωνι καὶ τῇ ἀδελφῇ τῇ Πολέμωνος Φυλομάχῃ.« Postremo Hagniae II. quoque mortui nomen etiam atque etiam inutiliter repeti commemoro ut in § 3 (bis), 32 sqq. (decies), aliis locis: ita exceptis tribus locis: 6 (bis), 67, ubicunque de eius hereditate dicitur. Legimus enim: ὁ κλῆρος τοῦ Ἁγνίου in §§: 3, 5, 7, 15, 20, 28, 31, 34, 48, 49, 56, 65, 69 (bis), 76, 77, vel: Ἁγνίας, οὗ ἐστιν ὁ κλῆρος ut in § 32. Interdum porro idem duplici ratione expressum videmus, quem usum vocamus pleonasmum, ut in § 74 »ἔτι δὲ πρὸς τούτοις.« — Atque huc mihi videtur pertinere comparativus ille, quem legimus et in § 22 et in § 25. Sic formatum esse comparativum duplici quadam ratione a poetis ab eisque rarissime constat[1]). Praeterea Plato compluribus locis μᾶλλον subicit comparativo, cuius usus exempla afferunt Stallbaumius ad Gorgiam 487 B. et Astius in Lexico Platonico II. p. 274. In Demosthenis orationibus nullum inveni exemplum.

Neque vero solum repetitionibus orta est tanta et rerum et verborum latitudo, sed etiam orator, cnm eandem sententiam exprimeret varia ratione modo affirmative et negative, modo gradatim ascendens a minore ad maius vel a maiore ad minus descendens, qua erat loquacitate, efficit eam verbositatem a privatis causis alienam. Qualem invenimus in paragraphis: 4. »καὶ οὐ μόνον ἡττήθησαν, ἀλλὰ καὶ πονηρότατοι δόξαντες εἶναι ἀπηλλάττοντο . . .«, ad quam paragraphum recte adnotat Rohrmannus[2]) loco particulae καὶ exspectari ὥστε et loco verbi

1) Cf. Kruegerum, qui l. c. 49,6,3 comparativum illum nusquam nisi a poetis usurpatum esse dicat. Cf. Herbstium ad Xenophontis convivium I. 4.

2) l. c. p. 38.

finiti *ἡττήθησαν* participium *ἡττηθέντες* —, 32. »... *ἐνίκησεν οὐδεμιᾷ παρασκευῇ ἀδίκῳ — ἀλλ' ὡς οἷόν τε δικαιότατα* ...«, 33. »... *οὐκ ἐνίκησεν ἀλλὰ παρεκρούσατο* ...«, 34. »*οὔτε Θεόπομπος οὔτ' ἄλλος οὐδεὶς πώποτε ἀνθρώπων ἐνίκησεν*«, 48. 50. »*οὐδὲν ὄνομα τῶν ... ἀλλ' οὐδὲ παραπλήσιον*«, 67. »*τούτων οὐδὲν ἔμελε Θ. ... ἀλλὰ τοῦτο μόνον* ...« etc.

Adde, quod haud ita raro quasi parenthetice interposita invenimus brevia quaedam enuntiata, quae quamquam inducuntur particula *γάρ*, tamen plerumque mihi quidem supervacanea videntur. Cf. §§: 18 »*τοῦτο γὰρ ἅπασι κοινόν ἐστιν*«, 27, 63, 64, 73.

Brevitati vero aptae et concinnae hunc oratorem omnino non studuisse, ut ex omnibus prioribus apertum est, ita praecipue ex longa illa et molesta periodo paragraphorum 6—7. Quam omissis verbis inutilibus simplicissima ratione optime Rohrmannus demonstravit sic strui potuisse: »*ἐχούσης δὲ τῆς μητρὸς τοῦ παιδὸς τὸν κλῆρον, οὕτως εἰσὶ μιαροὶ Θ. κ. Γλ. κ. Γλ. ὁ ἡττηθεὶς τὸ πρότερον καὶ ἕτερός τις τῶν ἐπιτηδείων Εὐπόλεμος, ὥστ' οὐκ οἴονται δεῖν πείθεσθαι τοῖς νόμοις, ἀλλὰ πάντα τρόπον ἐπιχειροῦντες ἀφελέσθαι πάλιν τὴν γυναῖκα τὸν κλῆρον προςεκαλέσαντο αὐτὴν πρὸς τὸν ἄρχοντα εἰς διαδικασίαν.*« Atque alia permulta possum enumerare verbositatis exempla, sed eis, quae iam attuli, unum addam. Dico inquisitionem illam, ut Latine vocatur *ἀνάκρισις*, quae exstat in paragraphis 48—49. De qua iam disserunt[1]) Blassius et Rohrmannus, quorum alter verborum latitudinem »*εἰ γάρ τις ἀνακρίνοι ὦ ἄ. δ., οὑτοσὶ τίς ἐστιν ὁ ἀμφισβητῶν τῷ παιδὶ τούτῳ τοῦ κλήρου τοῦ Ἁ.* ......« »*πάλιν δὴ ἀνακρίνω τὸν παῖδα* sqq. ...« reprehendit, alter huius figurae formam, cum melius se haberet dictio, si orator scripsisset »*εἰ γάρ τις ἀνακρίνοι σε, ὦ Μ., σὺ τίς εἶ* ...« Multo aptius et brevius haec figura usurpata est a Demosthene in LVII, 66 sqq.: »... *ἐγὼ τὸν αὐτὸν τρόπον ἐμαυτὸν ὑμῖν ἀνακρινῶ. ὦ ἄνθρωπε, τίς ἦν σοι πατήρ; ἐμοὶ Θούκριτος. οἰκεῖοί τινες εἶναι μαρτυροῦσιν αὐτῷ; — πάνυ γε* ...«

---

1) Cf. Blassium l. c. p. 495, Rohrmannum l. c. p. 53.

In hac, quam exposuimus, verbositate vel loquacitate cum Macartatea oratione plane congruit, quae est in Olympiodorum. In utraque enim orator eisdem verbis promittit se quam brevissime dicturum esse: in illius[1]) § 21, in huius § 5: *ἔστι δὲ βραχὺς ὁ λόγος.*

In utraque vero longissimam invenimus narrationem et simillimam. XLVIII. 5. »*ἦν γάρ, ὦ ἄ. δ., Κόνων Ἁλαιεὺς, οἰκεῖος ἡμέτερος. οὗτος ὁ Κόνων ἐτελεύτησεν. ἄπαις ὀλίγον χρόνον πάνυ ἀῤῥωστήσας, ἐβίω δὲ πολλὰ ἔτη, καὶ ἦν πρεσβύτερος, ὅτ' ἐτελεύτα. καὶ ἐγὼ ἐπειδὴ ᾐσθόμην, ὅτι οὐχ οἷός τε ἔσται περιγενέσθαι* sqq. . . .«

Ex ceteris verbositatis exemplis affero et § 9—10 et § 53. Easdem animadvertimus in hac oratione repetitiones statim in prima paragrapho: *ἀναγκαῖον — ἀδικῶνται — ἀδικεῖσθαι — ἠνάγκασμαι — ἀδικεῖσθαι* et in paragraphis: 15. *ἔλαθε — ἐλάνθανε*, 23—24. *καὶ ἔδει ἀγωνίζεσθαι — ἀπαράσκευοι . . . πρὸς τὸ ἀγωνίζεσθαι — εἴ πως ἀναβολή τις... παρασκευάσασθαι πρὸς τὸν ἀγῶνα — στρατεύεσθαι — στρατευόμενος — καὶ συνεβεβήκει . . . ἀναβολὴ — στρατευομένου* . . ., 28—30. *ἐβουλευόμεθα — καὶ ἐδόκει ἡμῖν βουλευομένοις — ἐπειδὴ δὲ ταῦτ' ἐβουλευσάμεθα καὶ ἐδόκει* —, 30—31. *τὸν νόμον, καθ' ὃν ἡ πρόςκλησις ἐγένετο — κατὰ τὸν νόμον τοῦτον ἡ πρόςκλησις ἐγένετο*, 32. *ταῦτα δὴ πάντ' ἔχων — ἀλλ' ἔχει αὐτὸς ἅπαντα*, 36/39. *προφάσεις — ὑπονοίας* sqq., 40. *εἰδόσιν ἀκριβῶς — ἀκριβῶς γὰρ ᾔδει*, 45,46,47, 52,53, 54,55 —; praeterea in his paragraphis: 21. 50. *συγχωρεῖν καὶ συνεχώρησα*, 19. 32. 38. *κατὰ τοὺς ὅρκους καὶ τὰς συνθήκας . . . περὶ τοῦ ἰσομοιρεῖν — ὀμωμοκὼς καὶ συνθήκας πρός με ποιησάμενος ἦ μὴν ἰσομοιρήσειν — ὀμωμοκὼς ἰσομοιρήσειν κ. τῶν συνθηκῶν* . ., 11, 12, 17, 92, 38, 46 (bis), 47 (bis), 48: »*Ἀνδροκλείδης, παρ' ᾧ κεῖνται αἱ συνθῆκαι*« vel similiter. — Ut in XLIII. ita in XLVIII. saepissime videmus usurpatum pronomen *οὗτος* vel *οὑτοσὶ* et Olympiodori nomen positum. Legimus enim *οὑτοσὶ Ὀλυμπιόδωρος* in §§: 5 (bis), 6, 14, 17, 20, 22 (bis), 23, 24, 25 (bis), 26, 28

---

1) Cf. etiam XLIII, 18 *διὰ βραχυτάτων*, 73 *διὰ βραχέων*. Quae verba utroque loco sequitur narratio longa et molesta.

(bis), 30, 31, 51, 53, 57 (bis), 58, 56 (*τοιουτοσὶ*), praeterea pronomine omisso solum nomen in §§: 1, 2 (ter), 4 (bis), 13, 16, 18, 20, 21, 27, 28, 29, 30, 31, 34, 35, 41, 43, 45, 58. — Compluries deinceps usurpatum est pronomen *οὗτος* in §§ 6—7, nomen Olympiodori multis locis: quater in § 1—2, in § 4—6 quinquies, saepissime in § 20—31, in § 56—58 quinquies. Ut pronomen demonstrativum ita personale *ἐγὼ* saepissime positum est, multo saepius quam in Demosthenis privatis orationibus, multo etiam saepius quam in XLIII. — in §§: 3, 5, 6, 7, 8, 12, 13 (bis), 17, 19, 22, 23, 27, 28 (bis), 30, 31, 33, 35, 39, 44 (bis), 45, 48, 50 (bis), 55, 57 (bis): *29* loci in *58* §§[1]). — Etiam relativi pronominis eandem formam enuntiata conectere videmus in § 38—39 *καὶ ἃ μὲν — ἃ μὲν οὖν — ἃ δὲ*... Quem usum in orationibus, quae sunt pro Apollodoro, observaverunt A. Schaeferus[2]) et Lortzingius[3]), qui in Demosthenis veris orationibus unum tale exemplum se reperisse dicit in oratione de Rhod. lib. § 29.

Alium quoque usum, quem earum orationum proprium esse illi homines docti demonstrant, etiam in hac oratione invenimus, particularum eam inopiam, qua efficiatur, ut eaedem particulae identidem se excipiant, imprimis ut illic ita hic particula *ἐπειδή*, velut elucet e paragraphis: 5, 19, 20, 21, 22, 33, 28. Praeterea haec particula usurpatur in §§: 6, 7, 25, 27, 41. Qui usus non tam frequens apparet in oratione Macartatea (1, 6, 8, 11, 12, 18, 74).

Eundem vero pleonasmum atque in illius orationis § 74 animadvertimus in § 43 »*ἔτι δὲ πρὸς τούτοις*« similemque in § 15 »*μετὰ δὲ ταῦτα οὐ πολλῷ χρόνῳ ὕστερον*« (cf. § 16 »*οὐ πολλῷ δὲ χρόνῳ ὕστερον*«).

Deinde in utraque oratione orator nimis saepe eandem sententiam vel notionem varia ratione exprimit modo affirmative

1) in Mac. 2, 11, 13, 22, 25, 55, 67, 73, 74, 75, 81, 84: *12* loci in *67* §§; in Lacr. 3, 5, 6, 8, 26, 43, 44, 49: *8* loci in *47* §§; in Aph. I. 35, 47, 48, 52, 58, 66: *6* loci in *69* §§: in Aph. II. 1 (bis), 9, 10, 17: *5* loci in *24* §§; pr. Phor. 31, 42, 53, 59: *4* loci in *62* §§; in Con. 4, 6, 9, 13, 15, 17, 22, 23, 27, 32, 34, 40, 41, 43: *14* loci in *44* §§.

2) l. c. p. 188.

3) l. c. p. 34.

et negative, modo gradatim vel descendens vel ascendens. — Ita enuntiata cumulantur in §§: 2. *οὔτε . . . ἑκὼν, ἀλλ' ὡς οἷόν τε μάλιστα ἄκων*, 6. *ὠργίσθην καὶ ἠγανάκτησα ἐπὶ . . .*, 28. *ἠγανάκτει — ἐπεὶ δὲ μεστὸς ἐγένετο ἀγανακτῶν*, 41. *οὐδεὶς γὰρ ἀντέλεγεν, ἀλλὰ συνεχώρουν αὐτοὶ οἱ ἀντίδικοι* —, 35. 44. *καὶ λόγῳ ἀκηκόατε καὶ μεμαρτύρηται ὑμῖν, καὶ οὐ μόνον ἔλεγε ταῦτα, ἀλλὰ καὶ μαρτυρίας παρείχετο περὶ τούτου*, 44. *κἀγὼ οὐδ' ὁτιοῦν ἀντέλεγον τούτοις, οὐδ' ἤκουσέ μου φωνὴν οὐδεὶς ἀνθρώπων . . . οὔτε μικρὰν οὔτε μεγάλην, ἀλλὰ προςωμολόγουν ἀληθῆ εἶναι . . .*, 52. *διέφθαρται καὶ παραφρονεῖ. ἀνιῶμαι καὶ αἰσχύνομαι*, 53. *οὐδ' εἰσὶν αὐτῷ παῖδες οὐδ' ἐγένοντο*, 54. *οὐχ ἧττον — ἀλλὰ καὶ μᾶλλον*, 55. *μαίνεται καὶ παραφρονεῖ.*

Similiterque brevia illa enuntiata, quae particula *γὰρ* inducit, recurrunt in §§: 10, 26, 27, 44, 51, 54,57.

Denique etiam in hac oratione saepe ut in Macartatea leges inutiliter commemorantur. Exemplum satis sit unum — idque simillimum Macartateae orationis paragrapho 19: »*γυναῖκα αὐτῶν ἕκαστος ἔγημε κατὰ τοὺς νόμους τοὺς ὑμετέρους*« — afferre paragraphi 53: »*γυναῖκα μὲν ἀστὴν κατὰ τοὺς νόμους τοὺς ὑμετέρους οὐδεπώποτ' ἔγημεν.*«

Eandem igitur verbositatem, eandem loquacitatem, quam orationis XLIII. esse propriam intelleximus, huius quoque orationis cognovimus.

Ne Lacritea quidem oratio caret latitudine verborum; sed in hac minorem esse loquacitatem, pauciores repetitiones concedere necesse est. Paullo igitur vividiorem apparere dictionem quamquam non negandum est, tamen eam brevitatem, quae Demosthenis privatarum orationum propria est, desideramus. In rebus enim exponendis verbositatem invenimus praecipue repetitionibus effectam, ut docent hae paragraphi: 1—4. *ἀποδοῦναι* (quinquies), 4. *ἔχοντι — ἔχοντος — ἔχειν*, 7—8. 15. *ὑπισχνεῖτο καὶ ἀνεδέχετο — ἀναδεχομένου μοι πάντ' ἔσεσθαι τὰ δ., κελεύοντος τούτου καὶ ἀναδεχομένου ἅπαντ' ἔσεσθαί μοι.. κατὰ τὴν συγγραφὴν* (bis), 17. 19. *ἐχρῶντο ὅτι ἐδόκει*, 18—25. *πρῶτον μὲν γὰρ γέγραπται — γέγραπται μὲν ταῦτα ἐν τῇ συγγραφῇ — κατὰ τὴν συγγραφὴν — ἀπὸ τοῦ πρώτου γεγραμμένου — τὰ γεγραμμένα — ἐν τῇ συγγραφῇ — ταῦτα διαῤῥήδην γέ-*

γραπται — ἀμελήσαντες τῶν γεγραμμένων ἐν τῇ συγγραφῇ — παρὰ τὴν συγγραφὴν — γέγραπται δὲ μετὰ ταῦτα ἐν τῇ συγγραφῇ — γέγραπται μὲν γὰρ ταῦτα ἐν τῇ συγγραφῇ — τοῖς γράμμασι γεγραμμένοις ἐν τῇ συγγραφῇ — τὴν συγγραφήν —, 22. *δανείζονται — ἐξαπατήσαντες — παρεκρούσαντο — καὶ ἔλαθον δανεισάμενοι — τὸν δανείσαντα ἐξηπάτησαν ὡς . . . δανειζόμενοι — ἐπεδανείσαντο — ἐπιδανείσαντος*, 52—53. *δανείζειν* (sexies), 29. *προςιόντες — προςῇμεν*, 37/38. *ἡ συγγραφὴ κελεύει . . . δανείζειν, Ἀθήναζε ἀνέπαφα παρέχειν* (bis), 39. *συγγραφὴ* (ter), 40. *οἶμαί γε δεῖν — οἰομένους*[1]), 40 sqq. *τῷ λόγῳ πιστεύοντας — τῷ δικαίῳ πιστεύων — ἐπαγγέλλεται δεινὸς εἶναι — ἐπαγγελλόμενος παιδεύειν — ἐπαίδευσε τὴν παιδείαν ταύτην — τοῦ παιδεύοντος — τῶν παιδευομένων — δεινός ἐστι καὶ πιστεύει τῷ λέγειν . . .*

Tum pronomen demonstrativum compluries deinceps usurpatum uno loco invenimus in paragraphis 3—4: *οὗτοι — τῷ τούτου ἀδελφῷ — Α. τούτῳ — τὴν δίκην ταύτην — κατὰ τοὺς αὐτοὺς νόμους τούτους — ἀδελφῷ ὄντι τούτῳ ἐκείνου — ἔχοντος τούτου* — ubi etiam pronomen *αὐτὸς* crebro invenies.

Sed in illis orationibus usus pronominis *οὗτος* frequentior est. — Lacriti vero nomini adiungitur pronomen *οὑτοσὶ* vel *οὗτος* in §§: 3, 5, 7, 8, 15, 17, 22, 28, 30, 31, 36, 37, 41, 44, 50. Quo omisso Lacriti nomen praeter vocativos paragraphorum 45, 46, 48 semel positum est in § 31.

Parva illa enuntiata cum particula *γὰρ* eaque plerumque inutilia invenimus in paragraphis: 6, 25, 28 (bis), 31, 32, 55. Denique etiam in oratione XXXV. saepe eandem notionem varia ratione exprimi elucet ex his locis: 1. *οὐδὲν καινὸν — ἀλλ' ἅπερ εἰώθασιν*, 7. *προςεποιοῦντο καὶ ἔφασαν εἶναι*, 19. *οὐδ' ἐμέλλησαν οὐδὲ διενοήθησαν*, 21. *παραβαίνειν καὶ μὴ ποιεῖν*, 22. *παρεκρούσαντο καὶ ἔλαθον δανεισάμενοι*, 26. *οὐδὲν ἀδικοῦντες οὐδὲ δίκην οὐδεμίαν ὠφληκότες*, 38. *οὔτε γιγνώσκομεν οὔθ' ἑοράκαμεν*, 39. *οὐδενὶ πώποτ' ἐφθόνησα οὐδ' ἐπετίμησα*, 46. *βδελυρός τίς ἐστι καὶ ὑπερβάλλων ἅπαντας ἀνθρώπους τῷ πονηρὸς εἶναι.*

---

1) Cf. Aeschinem 3,33 *οἶμαι, ᾤετο δεῖν.*

Ergo hae orationes, de quibus dissero, omnes verbositate et loquacitate a Demosthene abhorrent, congruunt inter se orationes XLIII. et XLVIII. XXXV. orationis tantam non reprehendimus latitudinem verborum quantam illarum, sed eam, quae a Demosthenis privatis orationibus aliena sit. Dissolutum igitur apparet dictionis genus.

Congruunt porro orationes XLIII. et XLVIII. inter se in multis similibusque sententiis, quarum iam in prioribus nonnullas commemoravimus ut illud »*ἔστι δὲ βραχὺς ὁ λόγος*« (XLIII, 21. XLVIII, 5).

Aliae reperiuntur, ut orationum et exordia et conclusiones praetermittam, quae in omnibus orationibus similia esse constat, in his paragraphis:

M.	O.
7. . . . *τὸν νόμον κελεύειν . . . ἐάν τις βούληται ἀμφισβητεῖν.*	10. *οἱ γὰρ νόμοι κελεύουσι τὸν βουλόμενον ἀμφισβητεῖν . . .*
20. *τί ἂν ἐγὼ ὑμῖν, ὦ ἄ. δ., πράγματα παρέχοιμι ἢ ἐμαυτῷ ἐξηγούμενος περὶ ἑκάστου;*	7. *τί ἂν ἐγὼ ταῦτα διηγούμενος ἢ ὑμῖν πράγματα παρέχοιμι ἢ ἐμαυτῷ ἐνοχλοίην;*
8. *καὶ ἐπειδὴ ἦγεν ὁ ἄρχων εἰς τὸ δικαστήριον καὶ ἔδει ἀγωνίζεσθαι, τά τε ἄλλα ἦν αὐτοῖς ἅπαντε κατεσκευασμένα . . .*	23. *καὶ ἐπεὶ ἀνεκρίθησαν πρὸς τῷ ἄρχοντι . . . καὶ ἔδει ἀγωνίζεσθαι ἐν τῷ δικαστηρίῳ, ἀπαράσκευοι ἦμεν . . .*
19. *γυναῖκα αὐτῶν ἕκαστος ἔγημε κατὰ τοὺς νόμους τοὺς ὑμετέρους καὶ παῖδες ἐγένοντο αὐτοῖς ἅπασι . . .*	53. *γυναῖκα μὲν ἀστὴν κατὰ τοὺς νόμους τοὺς ὑμετέρους οὐδεπώποτ' ἔγημεν οὐδ' εἰσὶν αὐτῷ παῖδες οὐδ' ἐγένοντο . . .*
34. *καὶ ὁπότερος τούτων δικαιότερα λέγειν δόξει . . . δῆλον ὅτι τούτῳ ὑμεῖς οἱ δικασταὶ προςθήσεσθε.*	3. *δέομαι . . . τῷ τὰ δίκαια λέγοντι, τούτῳ τὴν ψῆφον ὑμᾶς προςθέσθαι.*

Quos locos inter se simillimos Uhlius[1]) affert et ex or. XXXV. et ex orationibus XLIII. et XLVIII., ei parvi sunt momenti; similes enim ut in omnibus omnium orationibus reperiuntur ita in Demosthenis scriptis saepe exstant, ut senten-

---

1) l. c. 112—113 — *ἐνοχλεῖν* cf. p. 104.

tiae interrogativae cum particula *πῶς* XXXV, 42. 54. XLIII, 78. XLVIII, 55 (cf. ad ex. LVII, 44), ut *ἀγανακτεῖν* XXXV, 31, XLVIII, 28 (cf. Isocr. 4, 122, Dem. VIII, 54. LIV, 15), *ἐνοχλεῖν* XXXV, 30. XLIII, 20. XLVIII, 7. 19 (cf. Dem. XVIII, 4. XXI, 4. XXIII, 4), ut XXXV, 25. XLVIII, 44 *οὔτε μέγα οὔτε μικρόν, οὔτε μικρὰν οὔτε μεγάλην* (cf. Dem. IX, 5. XIX, 17. XXI, 25)[1]), ut alii loci, de quorum nonnullis iam antea dixi. Tales similitudines fortuitas esse statuere necesse est.

Permulta porro, quae Uhlius magna cum diligentia in dissertatione sua attulit, aut huc non pertinent, quia ille orationes XXXV., XLIII., XLVIII. non genuinis confert. Demosthenis orationibus, sed pro Apollodoro scriptis, quae sine dubio non sunt Demosthenis, ut et ea, quae de formulis, quibus scriba instrumenta recitare iubeatur, exponit[2]) et alia, aut minimi sunt momenti, ut et ea, quae de articulo nominibus propriis adiecto dicit[3]), ut ea, quae de pronominibus demonstrativis *οὗτος οὑτοσὶ* disserit[4]). Nam quamquam dicit apparere in tribus prioribus orationibus (XXXV., XLIII., XLVIII.) saepissime addi nominibus adversariorum *οὑτοσὶ* pronomen, ceterarum vero auctorem spernere et *οὑτοσὶ* et *οὗτος*, tamen qui scriberet or. LIX., eum septies et vicies addidisse nomini adversarii pronomen aut *οὑτοσὶ* aut *οὗτος* apparet. — Hoc unum commemoro Uhlium ostendisse in or. XXXV. et semel tantum (§ 30) pronomen omissum esse (in XLIII. duodecies, in XLVIII. undecies) et semel tantum positum esse *οὗτος* loco *οὑτοσί* (in XLIII. quater, in XLVIII. novies).

Sed satis de Uhlio! Veniamus ad alia! Demosthenis proprium est saepe infinitivum ponere cum articulo ut substantivum[5]). Talibus infinitivis initio raro usus est semel in XXVII. (§ 28), semel in XXVIII. (§ 6), iam vero in XXX. duodecies, in XXXI.

---

1) Cf. Rehdantzium l. c. p. 255.

2) l. c. p. 107 sqq. — Cf. etiam p. 85 (praepos. apud infin.).

3) l. c. p. 75—82. — Ipse confitetur: »Ex hac tabula nullum nobis licebit capere fructum«.

4) l. c. p. 82—84. — Cf. supra p. 6.

5) Cf. Siggium l. c. p. 429. — Cf. ad or. XXXV. XLIII. XLVIII. etiam Uhlium l. c. p. 84.

quinquies, et postea in XXXVI. undecies, in LIV. terdecies, in LVII. duodecies.

Quod in his orationibus multo rarius esse apparet ex eo, quod infinitivus cum articulo positus est: quinquies in XLIII. (38, 55, 68, 77, 80), sexies in XLVIII. (1, 19, 21, 23 bis, 39), quinquies in XXXV. (2, 19, 42, 46, 50).

Neque minoris momenti videtur particularum usus. Particulas vero *τοίνυν*[1]) et *οὖν* et alias, quae et in Demosthenis orationibus et in his frequentes exstant, ut praetermittam, septem harum tabulam apponam:

	XXXVI.	LIV.	LVII.	XLIII.	XLVIII.	XXXV.
μέντοι	57.	0.	42.	0.	0.	0.
διόπερ	11.25.30.	0.	49.51.	0.	0.	0.
οὐκοῦν	21.	44.	46.47.	0.	0.	48(bis)
δήπου	22.	44.	22.25.44. 48.53.54.	0.	0.	35.
καίτοι	13.19.21.22.26. 35.46.54.	37.	27.28.51.54.	56.	0.	0.
μήν	21.32(bis).43.48.	6.25.38.	5.26.4654.	0.	9.	0.
δή	saepe	saepe	saepe	21.22(bis). 25.49.50. 65.77.83.	10.11. 14.15. 32.34(bis).	0.

Particulas *μέντοι* et *διόπερ* in his orationibus non usurpari nullius est momenti. Nam ne in LIV. quidem exstant. Particulas deinceps *οὐκοῦν* et *δήπου* in XLIII. et XLVIII. deesse, haud ita magni est momenti. Utraque enim et in XXXVI. et in LIV. semel exstat.

Particulas vero *καίτοι* non in XLVIII. et XXXV., *μήν* non in XLIII. et XXXV. usurpari, cum utramque in privatis Demosthenis orationibus crebro legamus, maioris videtur momenti esse. Maximi momenti est particulam *δή*, quae et in Demosthenis orationibus et in XLIII. atque XLVIII. creberrimo est in usu, in Lacritea oratione omnino non exstare. Quamquam enim in editionibus bis legimus *δή* in § 14: et »*λέγε δὴ καὶ τὰς μαρτυρίας*« et »*λέγε δὴ τὴν τῶν παραγενομένων μαρτυρίαν*«, tamen haec verba cum in optimo codice Σ desint exstinguenda esse statuo, praesertim cum supervacanea videantur propter ultima

1) Cf. Uhlium l. c. p. 92 — *τοίνυν* (igitur) reperitur quinquies in XLIII., semel in XLVIII., semel in XXXV., multo crebrius in Demosthenis scriptis.

paragraphi 9 verba. Particula δή igitur non exstat in oratione Lacritea. Ex quo certo possumus concludere hanc neque Demosthenis esse neque eiusdem oratoris atque XLIII. et XLVIII.

Plane abhorrent hae tres orationes a Demosthenis arte in compositione numerosa (εὐρυθμία). Hiatibus enim abundant ita, ut iam a Benselero in libro, quem disputationis initio [1]) commemoravimus, haud Demosthenis esse iudicatae sint. Singularum orationum nonnullos hiatus hoc loco apponam: XLIII. 1. ἀνάγκη ἴσως — 2. οὗτοι ἐπιδειχθήσονται οἷοί εἰσιν ἄνθρωποι καὶ ὅτι πάλαι ἤδη ἀρξάμενοι οὐδὲν — καὶ οἰόμενοι διαπράττεσθαι ὅτι ἂν — δικασταὶ εὐνοικῶς — 3. γένει οὖσα ἐγγυτάτω — εἴη αὐτῶν — εἶναι ἤ sqq.—XLVIII. 1. εἰςιέναι εἰς — προςήκει ἀδικεῖσθαι — τούτου ἔχων — ἀδικεῖσθαι ὑπὸ — 2. εἶναι ἀνθρώπων — ἠνάγκασμαι ὑπὸ — τούτου ἀγωνίζεσθαι sqq. — XXXV. 1. διαπράττονται οἱ — δεῖ ἀποδοῦναι αὐτοὺς — 2. ἃ ἔλαβον — καὶ οἴονται ἐὰν — πονηρότατοι ἀνθρώπων — δίκαι εἰσὶν — 3. τοιοῦτοί εἰσιν — τούτου ἀδελφῷ — τούτῳ εἴληχα — sqq.

De rhythmica illa lege a Blassio [2]) inventa, secundum quam Demosthenes, si excipimus orationes iuvenilis aetatis, rarissime et in certis causis plus duabus deinceps brevibus syllabis utitur, quamquam homines docti certant, num in illius observatione lex quaedam agnosci possit, tamen id certissimum est, Demosthenem raro breves syllabas cumulasse. In his orationibus illa regula [3]) non observata est: XLIII. 1—5. πρότερον ἀγῶνες ἐγένοντο — (παρανομοῦντες) — παρακολουθήσετε ἅπασι — (λεγομένοις) — (καὶ ὅτι πάλαι) — ὅτι ἂν ἐπέλθῃ — (δεόμεθα — λεγομένων — παρακολουθεῖν) — σαφέστατα περὶ — (κληρονομία κατὰ) — αἱ δὲ διαθῆκαι τότε παρέσχοντο — ἀπηλλάττοντο ἀπὸ — τότε Θεόπομπος — (παρακαταβάλλειν) — (κατὰ γένος) — (κατὰ διαθήκας) — ἐτόλμησε παρακαταβάλλειν — sqq. XLVIII. 1—5. μηδὲ δυναμένους — (δικαστήριον ἐπειδὰν) —

---

1) Cf. supra p. 3. — Cf. Benselerum p. 137, 142, 151 sqq.

2) Cf. Blassium Progr. Königsberg. Wilhelmsgymn. 1875. — Att. Beredsmk. III., 1 p. 99 sqq. Rhein. Mus. 1878 p. 508; — Bodendorffium Progr. Königsb. Friedr. Gymn. 1880. (pro Blassio contra Rühlium in Mus. Rhen. 1879 p. 593) Henricum Weil »Revue crit.« XXVI., 2. 1876 — alios.

3) Quae exempla uncis inclusi, ea a Demosthenis usu non abhorrent.

ὑπό τινος ἀδικῶνται — *διὰ τὸ μεγάλ' ἀδικεῖσθαι* — (*ἐπιτρέπειν*) — (*ἀφιστάμενος εὖ*) — *ἴστε ὅτι πάνυ ἂν ἠσχ.* — *μικρὰ ἐλαττούμενος ὑπὸ Ὀλ.* — (*γενομένους*) — *διαλλάξαντας ἀποπέμψαι* — (*ὅτι μὲν οὖν*) — (*παραγενομένων*) — *ὑπὸ Ὀλ.* — *ἔστι δὲ βραχὺς ὁ λόγος* — *οὗτος ὁ Κόνων* — *πάνυ χρόνον* — *πρεσβύτερος ὅτ' ἐτελεύτα* — (*περιγενέσθαι*) sqq. — XXXV. 1—5. *εὐθὺς ἐπελάθοντο* — *ἃ ἔλαβον* — (*παραγραφὰς*) — (*ὑμέτερον ἐμπόριον*) — *χρήματα δανείσας πάλιν Ἀθήναζε* — *πρὶν ἀποδοῦναι* — *ἐνθάδε κατέλιπε* — sqq.

Restat denique, ut dicam de elocutione, quam in prioribus obiter tantum tetigi. Eam non Demosthenis esse neque urbanam neque suavem, sed agrestem et rudem, ut iam e prioribus apertum erit, ita in proximis probabo. Vasta enim apparet elocutio in XLIII., 53 »*οὐ τοίνυν ταῦτα μὲν ἔδωκεν* — *ἕτερα δ' οὐ προςέταξεν* . . .«, de quo loco diligentius disseruit Rohrmannus [1]), 50 »*αὐτοὶ δι' αὐτῶν πορεύονται*«, stulta in §. 83: »*νομίζετε δὴ τὸν παῖδα τουτονὶ, ὦ ἄ. δ., ἱκετηρίαν ὑμῖν προκεῖσθαι* . . .«, nimis artificiosa in § 59 »*Μακαρτάτῳ δὲ τούτῳ οὐδὲν διαλέγονται* (scil. *οἱ νόμοι*), et 60 ». . . *ὅτι ὁ πατὴρ αὐτοῦ ἄνθρωπος ἦν καὶ τετελεύτηκε μετ' ἄλλων πολλῶν καὶ νεωτέρων καὶ πρεσβυτέρων*«, itemque artificiosa in XLVIII. 2 »*διαλλακτὴν οὐδένα φεύγων* . .,« 3 »*καὶ αὐτοὺς δοκιμαστὰς τοῦ πράγματος γενομένους* —,« 8. »*μηδεμίαν ἀηδίαν εἶναι περαιτέρω*«, 53. »*καὶ ποιοῦσα τουτονὶ περαιτέρω μαίνεσθαι*«, 24. »*καὶ κατὰ τύχην καὶ κατὰ δαίμονα*«, 36. 39. »*ὑπόνοιαι πλασταὶ καὶ προφάσεις* . .«, 44. »*οὐδ' ἤκουσέ μου φωνὴν οὐδεὶς ἀνθρώπων οὔτε μικρὰν οὔτε μεγάλην.*«

Falsum illud *ἦθος*, quod exstat in XLIII. et XLVIII. quoniam tractavi in priore parte disputationis, iam de singulis vocabulis verba faciam, primum de eis, quae aut nusquam omnino reperiantur apud Demosthenem vel Atticos scriptores nisi in una ex his orationibus aut alias seu aliter struantur seu aliam habeant vim. — XLIII. 31—33. »*ἐνίκησε τοῦ κλήρου*« Reiskius in Indice »scilicet« inquit »*τὴν δίκην*«. Cuius constructionis aliud nullum exstat exemplum. 7. *προςκαλεῖσθαι παρά τινος* alio nullo loco legimus. XLVIII. 13. »*καὶ οὗτος εἵλετο τοὺς φαρμακοτρίβας καὶ τὴν οἰκίσκην.*« Alio nullo loco exstat *οἰκίσκη*.

---

1) l. c. p. 54.

οἰκίσκην autem legendum esse, non secundum codices *οἰκίαν*, apparet e Pollucis Onomastico IX., 39: »*καὶ οἰκίσκην Δημ. ἐν τῷ κατὰ Ὀλυμπιοδώρου λέγει, καὶ οὗτος εἵλετο τοὺς φαρμακοτρίβας καὶ τὴν οἰκίσκην· ἐγὼ δ' ἔλαβον . . . ὡς εἶναι τὴν οἰκίσκην μικρὸν οἰκίδιον.*« XLIII. 69. *ἐξεπρέμνιζον* cf. Harpocrationis lexicon s. v. »*ἀντὶ τοῦ κατέβαλον τὰ πρέμνα τοῦτ' ἔστι μέχρι ῥιζῶν τὰ στελέχη.*« Quod verbum praeter hunc locum non invenimus nisi apud posteriores.

XLVIII., 25. *ἀνθυπωμόσαντο.* Cf. Harpocr. s. v. »*ἀντὶ τοῦ ὑπεῖπον τῇ ὑπωμοσίᾳ Δημ. κ. Ὀλ.*« et Hesych. »*τὸ ἀναβάλλειν δίκην ἢ χειροτονίαν μεθ' ὅρκου.*« Quod verbum praeter hunc locum non invenimus nisi in or. Ps. Demosthenica LVIII. 43. XLVIII., 51.

»*ὑμᾶς δὲ βούλομαι ἀκοῦσαι τὰς συνθήκας καὶ τοὺς ὅρκους, οὓς...*« *ἀκούω* — audio recitare *τινός* ut Dem. XX., 55. 64. 128. XXI., 46—48. XXXVI., 17. 26. 55. LVII., 22. 39. (*περί τινος* LVII., 20). Ita persaepe a Demosthene usurpatur. Sed praeter accusativum neutri seu pronominis seu adiectivi (XXXVI., 18. LVII., 24) raro accusativus rei ponitur (XX., 45. 74. XXXVI., 21). Nusquam Demosthenes dicit *νόμον* vel *συνθήκην* vel *ὅρκον ἀκούειν*, semper *νόμου, συνθήκης, ὅρκου.* — Hoc loco propter proximum relativum *οὓς* per attractionem positum esse accusativum iudico. XXXV. orationis sunt aliena a sermone Attico verba paragraphorum: 9. »*ἐτοιχωρύχησαν περὶ τὸ δάνειον,*« 17. »*ὁ πάντων τούτων ὁ ἐξηγητής,*« 25. »*ὕθλον καὶ φλυαρίαν,*« 48. poeticum illud *τοκεῖς*, quod ab historicis [1]) usurpatur, non ab oratoribus.

Sed venio ad graviora. In his enim orationibus turpissima et flagitiosissima cumulantur opprobria in adversarios. Demosthenem autem quamquam et ipsum interdum vehementissimis opprobriis concedo invectum esse in adversarios velut in or. de cor. contra Aeschinem, tamen is tam crebris et humilibus, qualia (*μιαρὸν θηρίον*) in his orationibus etiam atque etiam usurpantur, non usus est praesertim in tam levibus causis privatis. Talibus autem maledictis orator id agit, ut debilem

---

1) Thuc. II., 44, 1.

obtegat argumentationem. Tabulam vero *αἰσχρολογιῶν* ex his orationibus colligere possumus:

Αἰσχρολογιῶν tabula:

M.	O.	L.
ἀναίσχυντος 38, 39 (*κ. βδελυρός*)	51 (Superl.)	
ἀναισχυντεῖν 42.	6, 53	
ὑπεραναίσχυντος 65.		
ἀναισχυντία	6, 39	
ἀναίδεια		25, 35
ἀσελγεῖς κ. βίαιοι 23		
βδελυρός 39		
βδελυρία		32 (*κ. ψευδολογία*)
διέφθαρται	52(*κ. παραφρονεῖ*)	
θηρίον 83 (*μιαρ. θ.*)		8 (*οἵοις θηρίοις*)
κακοτεχνεῖν 2		27 (*κ. ἐπεβούλευον*
κακοῦργος		56 (*κ. σοφιζόμενος*)
καταφρονεῖν 72, 78, 84		39, 22 (*κακούργημα*)
καταφρονητικῶς 72 (*ᾐκίσαντο*)		40
λυμαίνεσθαι	53	
μαίνεσθαι	53, 55	40
μελαγχολᾶν	56	
μιαρός 6, 56, 68, 83		26, 52
πανουργία		24, 56
παραφρονεῖν	52, 55, 56 (bis)	
πονηρὸς 4		42 (bis)
πονηρία	39	5,7, 46, 56
σχετλιὸν κ. αἰσχρόν		47, 45 (*σχετλιάζειν*)
τοιχωρυχεῖν		9, 48
ὑβριστής 77, 84		
ὑβρίζειν 71 (bis) 72	55	25(*ὕβρις καὶ ἀναίδεια*)
οὐδὲν ὑγιές	51 (*λέγειν*)	17, 27 (*ποιεῖν*)
ὑπεραβέλτερος	42	

Quae vocabula fere omnia vulgaria esse concedo. *ἅπαξ* vero *εἰρημένα*, ut Graece vocantur quae vocabula semel tantum reperiuntur, sunt *ὑπεραναίσχυντος* XLIII., 65. *ὑπεραβέλτερος* XLVIII., 42.

Praeterea exstant alia duo adiectiva composita cum praepositione ὑπέρ: ὑπέρπολυς XLIII.. 69. Cf. Xen. Hell. III., 2, 26. A Demosthene non usurpatur. ὑπερμεγέθης XLIII., 29. Cf. Dem. XVIII., 316. Aesch. III., 7.

Ut in his compositis ita congruit utraque oratio in superlativo πρώτιστον XLIII., 75. XLVIII., 33, quem alias non invenimus nisi apud poetas.

Omnino non exstat nisi XLIII., 8. 21 (bis). XLVIII., 52: ἐξ ἀνάγκης ἐστί . . . Adverbialiter ἐξ ἀνάγκης frequenter usurpatum est ut Thuc. III., 40. VI., 44. Dem. XXX., 28, non una cum copula εἶναι.

Restat denique, ut insolitam commemorem constructionem verbi καταχρῆσθαι, quod et XLIII., 38 et XLVIII., 44 absolute positum est, ubi exspectamus καταχρῆσθαι τῇ προφάσει, τῷ λόγῳ ut XXXV., 44.

Quoniam igitur dissertationem ad finem perduxi, quae ex ea concludi possunt, ea nunc exponere mihi liceat. — Atque primum quidem hae tres orationes, de quibus disserui, Demosthenis non iudicandae sunt, ut dilucide apparet ex prava argumentatione, ex dissoluto dictionis genere, quod in eis inest, ex malis transitionibus, ex inconcinna periodorum structura, ex permagna verborum latitudine, ex foeda compositione, ex elocutione non digna Demosthene, quae omnia propria esse harum orationum probavi.

Deinde sine dubio orationes, quae sunt in Macartatum et Olympiodorum, unius eiusdemque oratoris iudicandae sunt propter summas seu consensiones seu similitudines et argumentationis et structurae et loquacitatis et elocutionis, denique propter illud ἦθος, quod utriusque proprium esse demonstravi.

Tum vero Lacriteae orationis nonnullas esse similitudines cum ceteris duabus quamquam demonstravi, tamen eam eidem tribui oratori non licet. Nam cum illae orationes in omnibus rebus congruant, in hac neque illud ἦθος neque omnino tantas consensiones seu stili seu elocutionis cognovimus quantas in illis.

Quin etiam aliis in duabus gravibus rebus Lacritea oratio abhorret ab illis, primum in particularum usu, de quo supra [1])

---

1) Cf. supra p. 62.

dixi, tum in eo, quod, qui hanc orationem scripsit, haud raro utitur facetiis ut in paragraphis: 1 sqq. 16, 40.

Quare paullo vividiorem esse dictionem huius orationis supra recte iudicavi. — Sed eas facetias plane alienas esse a Demosthene et A. Schaeferus et Blassius statuerunt[1]).

1) Cf. A. Schaeferum l. c. p. 291. Fr. Blassium l. c. p. 163 sqq. 197. 506. Cf. etiam Uhlium l. c. p. 53. Quos vero locos ex XLIII. et XLVIII. ille confert, ei mihi quidem non videntur esse similes eis paragraphis, quas ex XXXV. attuli.

Vita.

Augustus Henricus Fridericus Georgius Schimmelpfeng natus sum Marpurgi, in urbe Chattorum, a. d. III. Kal. Oct. a. h. s. LX. patre Gustavo Schimmelpfeng, philosophiae doctore et magistro gymnasii Marpurgensis, matre Elisa e gente Schaaf. Fidei addictus sum evangelicae. Scholam Ilfeldensem monasterialem, quam pater ab anno h. s. LXX. administravit administratque usque ad hunc diem, sex annos frequentavi ibique Graecorum Romanorumque poetas et scriptores diligere et caros habere didici. Autumno anni h. s. LXXVIII. maturitatis testimonio instructus me contuli Lipsiam, ut inscriberer studiosus philologiae. Ubi audivi Georgium Curtium, Ludovicum Lange, Lipsium, Overbeckium, Gardthausenium; praeterea per annum sodalis fui proseminarii philologici Lipsio duce florentis. Lipsia profectus sum Berolinum, ubi audivi sex per menses Kirchhoffium, Zellerum, Ernestum Curtium, Droysenium, Treitschkium. Tum per sex menses aestivos frequentavi Bonnensem academiam, ubi Usenerus, Bernaysius, Guil. Mangold me docuerunt. Postremo duos per annos Gottingae philologicis me dedidi studiis, ubi Hermannus Sauppe, Carolus Dilthey, Volquardsenius, Albertus Ritschl me docuerunt. Praeterea regii philologici per unum semestre proseminarii per unum seminarii fui sodalis. — Examen pro facultate docendi peregi vere anni h. s. LXXXIII. Iam ab autumno anni h. s. LXXXII. usque ad autumnum anni LXXXV. praeceptoris munere functus sum in gymnasio Verdensi, inde usque ad autumnum anni h. s. LXXXVI. in gymnasio Emdensi, inde usque ad hunc diem munere magistri ordinarii in Hildesiae gymnasio, quod vocatur Andreanum.
